

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Inauguralis Theologica, De Perpetua
Duratione Supplicii Infernalis, ex dicto Joh. III. 39. Qvi non
credit, &c. qvam Adjuvante Deo Trinuno æqve justo ac
misericorde, Consensu Summe ...**

**Krakewitz, Albrecht Joachim von
Gryphiswaldiæ, 1722**

VD18 13279440

urn:nbn:de:gbv:45:1-16861

DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA,
De
**PERPETUA DURATIONE
SUPPLICII INFERNALIS,**

*ex dicto Job. III. 39. Qui non credit, &c.
quam*

Adjuvante DEO Trinuno æque justo ac misericorde,
Consensu

Summe Reverende Facultatis Theologicae,
Sub PRÆSIDIO

VIRI GENEROSI, MAGNIFICI, SUMME REVERENDI,
AMPLISSIMI NEC NON DOCTISSIMI DOMINI,

**DN. DOCT. ALBERTI JOACHIMI
de KRAKEVITZ,**

Theologi Consummatissimi atqve longe Celeberrimi, Uni-
versitatis Gryphicæ Pro-Cancellarii Perpetui, Academiæ
RECTORIS Magnifici, Professoris Theologiæ Primarii,
Consistorii Regii Præsidis, Pomeraniæ Svecicæ Rugi-
æqve Superintendentis Generalis, & Facultatis
Theologiæ p. t. DEGANI,

Fautoris, Patroni ac Promotoris sui perpetuo colendi,
pro Licentia

Summos in Theologia capeffendi honores,
Anno 1722. d. 17. Junii in Alma Gryphica,
publico eruditorum examini submitter.

M. GREGORIUS LANGEMAK, Uterfa-Hofsatus,
Ecclesiarum Sundensium Superintendens, ad D. Nicolai Pastor, Consi-
storialis, in Gymnasio S. S. Theologiæ Professor & Scholarcha.

GYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, Reg. Acad. Typogr.





LIBRARY OF THEOLOGICAL FACULTY
UNIVERSITY OF OLDENBURG

Handwritten text in a cursive script, likely a library stamp or inventory record, is visible on the right side of the page. The text is partially obscured by the color calibration chart.



VIRI

Magnifici, Generosi & Amplissimi
Inclytæ STRALSUNDENSIS REIPUBLICÆ

Proceres ac Patres

DNN. CONSILIARIE PROVINC. ET CONSULES

DN. HERMANN. BERNHARD.
à WULFFRATH,

DN. JO. FRID. à ZANDER,

DN. JACOB. BULLI,

DN. SYNDICE

DN. JOH. FRID. à ZANDER,

DNN. CAMERARII, PRÆTORES
atque SENATORES Splendidissimi,

DN. PROT. NOT. & SECRET.

*Domini mei, Patroni, Fautores, pie submis-
sèque venerandi.*

POmeraniam nostram multos protulisse
Viros varia eruditione conspicuos,
nemo, nisi qui rem literariam plane
ignorat, negabit. Omnes fere Academiae
& celebriores per Germaniam urbes doctis
Pomeranis superbiverunt. Witteberga, ubi
lux Evangelica, post tenebras Papisticas,
primum orta est, quantum Jo. Bugenhagio
Pomerano debeat, tot in laudem hujus viri
habitæ Orationes loquuntur; Svecia, Da-
nia, Brunsviga, Lubeca, Hamburgum,
Slesvicum Hildesia ordinationes suas Ec-
clesiasticas ei magnam partem in acceptum
referunt. Docuit quondam Jenæ D. Jo.
Himmelius, ex Pomerania oriundus & ad-
huc Dn. D. Francisco Buddæo Anclamensi
hæc gaudet academia. Kostochium habuit
D. Franciscū Wolfium Stralsunda Pome-
ranum Concionatorem & Professore celeberrimum,
qui postea Hamburgum evocatus
egregie ibi meruit: ex eadem Academia
Demmino - Pomeranum D. Joachimum
Lutke-



Lutkemannum expetivit Gvelferbytum.
Hafnia oratorem facundissimum Jo. Lasse-
nium Pomeraniæ nostræ debet: & quot Vi-
rosex Pomerana gente doctissimos Gryphica
numerat Academia? Magnum scilicet Bar-
tholdum Krakevitzium Theologum &
gravitate & eruditione & fervore pro veri-
tate religionis vere Magnum, cujus genero-
sus Pro-Nepos Dn. D. Albertus Joachimus
de Krakevitz, Fautor & Promotor meus
longe æstumatisimus, qui Regiæ Acade-
miæ & Ecclesiis Pomeraniæ Rugiæque
summa cum laude ut Pro-Cancellarius &
Generalis Superintendens, jam ut Rector
præest: Abrahamum & Bartholomæum
Battos, Balthasarem Rhavium, Augusti-
num Balthasarem, Conradum Tiburtium
Rangonem, Volschovium, Jacob. Hen-
ningium, Colbergios, & alios, ne comme-
morem ꝑ Ctos celeberrimos, Mevios, Engel-
brechtios, Palthenios, Gerdesios. Sic sem-
per Pomerania habuit & adhuc habet viros

in terra



in terra sua genitos doctissimos. Mirum pro-
inde videtur, quod inter Antistites & Super-
intendentes Sundenſium Eccleſiarum uni-
cum tantum Pomeranum B. Dn. D. Jo. Bau-
dewinum urbs noſtra in hoc munere viderit.
Ceteri omnes, Jo. Knipſtrovius primus poſt
reformationem Anno 1523. opera Chriſtiani
Ketelhuti Sunda factam, Superintendens
Stralsundensis, & qui eum excepit Jo. Fre-
derus, & qui poſt illum longa ſerie ſecuti
Alexander Dum, Jacobus Cruse, Salomon
Gesnerus, Conradus Schluffelburgius,
Arnoldus Stappenbekius, Philipp. Henr.
Friedlibius, Georgius Zeæmannus, Bal-
thasar Rhaw, Bernhardus Gosmannus &
Lucas Schröderus ex alia terra & regione
in noſtram urbem vocati ſunt, non certe ob
defectum doctorum Pomeranorum: ſed quia
DEUS ita benigne voluit, qui Providen-
tiam & curam circa Eccleſiam ſuam hoc
modo luculenter manifeſtat, pro lubitu mini-
ſtros ſuos in vineas mittens & alterum in
bunc,

hunc, alterum in alium locum ablegans.
Eadem fata divina expertus sum & ego,
quem exterum & indignum Verbi sui inter-
pretem in hac Pomeranorum urbe esse voluit,
qui omnia in Ecclesia sua gubernat, **DEUS**
O.M. Quis me ex Holsatia in terram Pome-
ranorum ire iussit? quis me ex Schola Gry-
phiswaldensi Stralsundium vocavit? quis
me in hoc fastigium evexit? quis mihi hoc
gravissimum munus imposuit? certe nihil
dexteritati & meritis meis tribuo, quibus tot
Pomeranorum me longe superant, sed ductu
clementissimi Numinis secutus in hanc ter-
ram, in hanc Urbem, in hoc munus ingressus
sum, **DEO** Patri meo coelesti & guberna-
tori clementissimo omnia hæc gratisima
mente & calamo adscribo. Vos ipsi, Viri
Generosi & Ampliss., Fautores perpetuo
colendi, de vineæ voluntatis fuistis interpre-
tes, qui me hominem exterum benigne exce-
pistis, indignum fovistis, præter spem & opi-
nionem meam, me in utramq; dormientem

(17)



(en testem in caelis & utramque conscientiam) promo-
vistis, & variis multisque in hunc usque diem cumu-
lastis beneficiis. Et cum horum beneficiorum publicum
testimonium extare volui, in animi grati monumentum
hanc Dissertationem meam Inauguralem, quam, inter
concatenatos gravissimi mei officii labores, festinante
calamo in chartam conieci, Vestris Magnis Nominibus
dicare, dedicare, consecrare meum esse duxi, simul insi-
tum meum veritatis divinae amorem & odium nova-
rum opinionum Ecclesiam misere hoc tempore turban-
tium & coram Vobis publice testificaturus. Nulla
desistam tempore pro Vestra Vestrarumque optimarum
familiarum perenni salute pia nuncupare vota & qui-
buscunque poterò à DEO concessis viribus Vestram
benevolentiam demereri, qui

VIRI Magnifici, Generosi, Amplissimi

Vester ad aras devotus cultor

GREGORIUS LANGEMAK,

S. S. Theol. Ddus, Superint.



Conspectus totius Dissertationis.

§. I.

Aternitas supplicii infernalis à multis negata: Sociniani in annihilatione constituunt. Anabaptistarum Stanislaus Pannonii, Jo. Denk errores. Judaeorum fabula. Origenis dogma. Fratres misericordes: Franc. Georgius. Coelius Secundus Curio. Postellus. Robbert Roberts de Canu. Jo. Appelius. Jo. Angellus Werdenhagen, Petrus Serarius, Jo. Pordage. Jo. Leade. Henr. Horch. Th. Burnet. Petrus Poiret, Sam. Zink, Franc. Merc. de Helmont, Th. Hobbes, imprimis J. W. Petersenius, notantur.

§. II. Commune Semper fuit dogma Ecclesiae Christianae aeternam fore damnationem, nec Justinus Martyr, nec Irenæus errore hoc fuere imbuti nec Græca Ecclesia Origeni assensum prebuit: omni tempore Ecclesia huic errori se opposuit: Synodus Oecum. V. Aug. Confessio. Edictum Regis Borusl. Senatus Noriberg. salus damnatorum ut novum dogma omnino suspectum est.

§. III. Laudandi sunt, qui se huic errori opposuere Augustinus, Hieronymus, Andr. Musculus, Justus Menius, Bulingerus, Wigandus, Gerhardus, Calovius, Ittigius, Grapius, Nitschius, Engelshall / Koch, Clasenius, Autores U. N. Fischlinus, Jagerus.

§. IV. Veritas ex sola revelatione petenda: nec secundum faciliorem captum est judicandum.

§. V. Ex variis dictis aeternitatem supplicii Infernalis probantibus unicum eligitur ex Joh. III. 36.

§. VI. Dictum de pœna damni & pœna sensus agit.

§. VII. Subjectum enunciationis consideratur. Non credens filio. Filius est verus filius DEI, non creatura, ut Ariani, nec factus DEUS, ut Sociniani somniant: & quidem incarnatus, non cœlesti corpore, nec angelicam naturam assumpsit. Dictum Ebr. II. contra Petersenium
vindi-

vindicatur. Non Diabolorum expiator CHRISTUS, sed tantum hominum :
& quidem unicus Salvator.

§. VIII. Sola fides nos CHRISTI participes reddit : & sola incredulitates damnat.

§. IX. Fidem DELUS verbo suo accendit non per tribulationes.

§. X. Omnes increduli, qui sunt varii generis, damnantur.
Quest. de Salute infantum gentilium.

§. XI. Pradicati pars prima : non videbit vitam aeternam, quid significet?

§. XII. An impiis detur poenitendi locus & occasio post hanc vitam?
Neg. (1) quia nullum extat dictum in tota Scriptura hoc asserens; locus, 1. Petr. III. 19. vindicatur. (2) quia Scriptura asserit, non dari remissionem in altera vita. (3) quia carent mediis sese convertendi (4) tormenta neminem convertunt. (5) status damnatorum non permittit.

§. XIII. Juste excluduntur regno caelorum increduli, qui tantam misericordiam negligunt.

§. XIV. Pradicatum alterum de poena sensus, quod & hac aeterna

§. XV. Ira manet super illum.

§. XVI. Nihil ab hac explicatione nos abstrahere potest. Objectiones ex ratione & Scriptura. Vanum est, quod de conibus dicunt, & quod per cruciatus contumacia damnatorum frangatur, nec ex natura poenarum probari potest.

§. XVII. Nec obstat justitia DEL.

§. XVIII. Nec misericordia.

§. XIX. Nec diabolo major honor, potentia & felicitas inde resultat, quando damnatorum numerus major est.

§. XX. Nec ullum dictum Scripturae obstat : non Act. III. 19. Et. XXIV. 22. 1. Cor. XV. 26. 28. Rom. V. 20. Conclusio testimonio Irenaei, Cypriani, Hieronymi & Augustini,
§. I. AETER.

ATERNITAS seu PERPETUA DURATIO SUPPLICII INFERNALIS non solum nostra ætate, sed & prioribus seculis, à plurimis piis æqve, si modo verè pii dicendi sunt, ac impiis, vel in dubium vocata, vel plane negata, variisq; impugnata fuit modis. Nil dicam de atheis, epicureis, hujusq; generis hominibus, immortalitatem animæ, resurrectionem corporis ipsamq; divinam essentiam impie ac proterve negantibus, quos magno numero omnia tempora protulerunt. Ex illis, qui Christianum nomen profitentur, non defuisse unquam, nec adhuc deesse, qui æternitatem pœnarum, contra Scripturæ dicta, negent, eamq; immensæ misericordiæ & sanctissimæ divinæ justitiæ quàm maxime adversari putent, hinc effata verbi divini in sensum à mente Spiritus Sancti plane alienum detorqueant, valde dolemus. Quis nescit dogma seu errorem Socinianorum, pœnam impiorum in annihilatione, non sempiterno cruciatu, audacter constituentium? ita enim Socinus T. I. Opp. f. 178. *Docent, peracto judicio, impios, qui tunc vivi erunt, in ignem æternum, una cum diabolo iri detrusum, Matth. XXV. ita videlicet, ut simul omnes ISTO IGNE ABSUMANTUR*, quos solide pro more B. DN. SCHERZERUS in *Colleg. Anti-Socin. refutavit*. Ab his non plane dissimilis est autor libri *de concordia rationis & fidei* anno 1692. Amstelodami evulgati, quem STOSCHIUM, aulæ Brandenburgicæ quondam ministrum, fuisse dicunt, qui animas hominum corporeas statuens, eas simul, cum corpore perire & piorum animas cum corporibus resuscitatum iri, impiorum vero plane desituras ac perituras esse, audacter asserit. Seculo XVI. tempore Lutheri, Anabaptistæ docere ceperunt, omnes damnatos, atq; ipsos etiam diabolos seu angelos in peccatum

prolapsos tandem salvandos esse, & pœnis seu cruciatibus ipsorum, quos peccatis suis promeriti sunt, finem aliquando impositum iri. Quem errorem August. Confessio damnat, STANISLAUS vero PANNONIUS, celebris Anabaptista, in libro de divina Philantropia, & Jo. DENK defendere conati sunt, quibus BULLINGERUS, WIGANDUS alique satis responderunt. Et hodie quamplurimi reperiuntur, qui post diturnas castigationes infideles & impios, non quidem ut infideles & impios, sed in altera demum vita conversos, à DEO Patre misericordiarum in gremium ac æterna gaudia receptum iri, tanta animi fiducia ac *καρρησία* asserunt, ut cœcos, stupidos, ac refractarios existiment, qui eis assensum denegant & contrarium profitentur. Judæi, licet non omnibus, ex sua tamen gente, damnatis, certam spem liberationis faciunt; Statuunt enim, duplicem esse statum damnatorum, altero solos Judæos contineri in pervicacia sua sine ulla pœnitentia mortuos, hos cum ceteris inferis male torqueri ajunt, sed primo certis gradibus pro peccatorum scilicet mensura, quos septem numero tradunt, secundo, cum spe liberationis, post duodecim nempe menses: altero statu mere infideles contineri, scilicet, quicumque sunt extra Ecclesiam Judaicam vel à fide Judaica ante obitum desciscentes & præcipue ad Ecclesiam Christianam transmigrantes, quibus omnibus nulla spes revocare gradum superasque evadere ad auras: ita asserunt, neminem intra Ecclesiam Judaicam mortuum excludi à vita æterna, & ad inferos detrusos aliquando liberatum iri; vid. Jo. SAUBERTUM de Symboli fidei Judaicæ articulo nono, agente de beatitudine & damnatione æterna, pag. 12. seqq. De Origene, Viro alias pietate & eruditione insigni clarissimo, satis notum est, quod non solum hominum, sed & diabolorum salutem tandem sperandam esse à misericordia DEI, scriptis suis tradiderit,

fit, licet quidam JACOBUS scil. MERLINUS, PETR. HALLOIXIUS & PETRUS DAN. HUETIUS eum ab hoc errore absolvere conati sint & à malevolis tale quid ei imputatum fuisse statuunt; clarissima tamen ejus verba, quæ heic allegare superfedemus, contrarium testantur. Hunc *Fratres misericordes* secuti sunt, non tamen ita misericordes, ut cum Origene etiam malis angelis, sed hominibus tantum impiis vitam æternam promiserint, quos D. AUGUSTINUS jam suo tempore aggressus suo dejecit statu. Inter tenebras Papisticas JOACHIMUS, ABBAS FLORENSIS Cœnobii, ordinis S. Benedicti ex Calabria oriundus, Vir alias magni nominis & apud suos & exteros, qui anno 1215. ut Tritheita in Concilio Lateranensi condemnatus, & autor æterni Evangelii, jussu Papæ combusti, habetur, quia eadem fere in suis scriptis, quæ in æterno illo Evangelio tradita sunt, docuit ac defendit, publice innovationem & restaurationem rerum omnium professus est. Post tempora reformationis FRANCISCUS GEORGIUS Minorita 1544. in Harmonia mundi, COELIUS SECUNDUS CURIO, Professor Reformatus Basiliensis in libro de amplitudine beati regni DEI 1554. non paucos homines, sed omnes salvandos statuerunt. GVILIELMUS POSTELLUS, centenarius fere Romæ 1581. mortuus, in literis ad D. C. S. scribit: Diejenige suchen eine grosse Tyraney in die Welt einzuführen / welche sich einbilden / es werde niemahls die Herwiederbringung aller Dinge geschehen / daß es scheinet / der Satan habe mehr verderbet / als Christus wieder aufrichten können / & passim alibi in Clavi absconditorum renovationem rerum omnium docuit. Sub finem ejusdem seculi edidit lingua sua in Hollandia ROBERT ROBERTS de CANU, Vir sine literis, magnam tamen pietatem præ se ferens, hujus tituli librum: Einleitung der Feste Israels oder rechte Zeit Karten / worin man sehen mag / wie viel grosse Jahre die Welt

Welt gestandē habe / und noch stehen soll. in qvo libro FRANK. 1693. recuso insignis revolutio & renovatio, post hujus mundi tempora, diebus creationis & judæorum annis Jubilæis præfigurata docetur. Non minus Jo. APPELIUS, Scholæ Solitariensis Rector, in tractatu de regno DEI universalem restitutionem probare conatus fuit. Et Jo. ANGELLUS WERDENHAGEN, Professor primo Helmstadiensis, deinde Syndicus Magdeburgensis & Archiepiscopi Magdeb. Consiliarius intimus, sub nomine *Angeli Mariani*, in *aperta cordis porta*, qvem librum Svecorum Regis Cancellario AXELI de OXENSTERN inscripsit, testatur, durch das Evangelium werden alle Heiden / Juden und Türcken und auch alle Unchristen zu Christo bekehret werden. PETRUS SERARIUS, grande illud de redemptione totius Adami rerumque omnium ejus gratia restitutione mysterium, hæctenus mundo absconditum, graphice Anno 1668. Amstelodami descripsit & omnibus promiscue hominibus proposuit. Nostris temporibus Anglicanus Medicus Jo. PORTAGE non modo in tractatu de lapide Philosophorum his usus est verbis. Fahr hin Fall / Hölle / Fluch, Tod / Drache / Thier und Schlange / gute Nacht Sterblichkeit / Furcht / Trauren und Elend. Denn nun wird sich Erlösung / Heil und Wiederbringung alles dessen / so verlohren war / von innen und außen wieder finden: sed & in horologio sacro mentem suam de restitutione omnium rerum pluribus manifestavit. Quæ præsertim Jo. LEADE, femina Britannica, HENR. HORCH, Theologus Herbornensis in scriptis suis 1695. editis, THOMAS BURNET, in theoria telluris sacra, PETRUS POIRET, in Oeconomia fœderis, SAMUEL ZINK, Pauli Consulis Dresdenensis filius aliique & imprimis autrix æterni Evangelii, quæ Peterfenio conjux est, ipso fatente marito T. III. Oper. f. 206. b. & DN. Jo. WILH. PETERSENIUS, in prolixo Opere de ἀποκατάστασις

ταρασία τῶν πάντων, cum affectis de fine omnium suppliciorum
 afferuerint & adhuc defendant, cui hæc sunt ignota? Ne
 fileam, FRANCISCUM MERCURIUM de HELMONT, JO. BAPTI-
 STÆ filium, de cujus portentosa opinione plura GERH. CROE-
 SUS in Historia Quakerorum habet, ubi hæc tandem legun-
 tur: *Postremum quidem piorum felicitas prorsus aeterna, at habebunt
 pœna impiorum suos terminos ac fines p. 284.* & ne taceam THOMAM
 HOBBIUM, qui in pestilentissimo libro Leviathan pœnas
 infernales de doloribus metaphoricè tantum & usq; ad finem
 seculi, id est, mundi duraturis explicat, ac resurrectionem
 tantum ad vitam æternam non vero ad æternam simul mor-
 tem nimis secure credit. De hisce ferè omnibus notari mere-
 tur, quod (1) non revelatione in S. literis facta contenti im-
 mediatas Spiritus S. revelationes jactitent, (2) quod cras-
 sis erroribus cum verbo DEI revelato aperte pugnantibus
 imbuti, & (3) quod sibi invicem parum consentiant, qui
 tamen eodem Spiritu se illuminatos & ductos gloriantur.
 Ex omnibus tamen maxime notandus DN. D. J. W. PETER-
 SENIUS, cujus scripta, vernacula lingua edita, magnam eru-
 ditionem & pietatem spirantia, in pluribus versantur mani-
 bus, quibus mentem suam aperte satis exposuit: DEUM scil.
 tanta in omnes creaturas, five homines, five spiritus, peccato
 infectas & deformatas, flagrare misericordia, ut ad opus
 Diaboli, quod præcipuum peccatum est, destruendum, uni-
 genitum filium miserit; quicumque ergo in eum usque ad
 finem vitæ credituri sint, illi tanquam primigeniti filii DEI,
 sine omni Judiciali pœna æternam vitam consequentur: alii
 vero sine fide defuncti, in carceres suos detrusi, per certos
 æones cruciatibus mansueti & ad fidem in CHRISTUM
 demum perducti, carceribus suis soluti tandem salvabuntur:
 alii uti peccatores in Spiritum Sanctum similesq; contuma-
 ciores,

ciores, in palude igne & sulphure flagrante, diuturnioribus tormentis perpeffis, ab iisdem tandem liberatum iri credit, & post omnium hominum, à Satana seductorum, salutem, spiritus quoque malos seu lapsos angelos, absumpta omni eorum malignitate, per eundem Salvatorem Dominum nostrum JESUM CHRISTUM ad pristinam angelicam sanctitatem, pristinumque favorem DEI redituros esse, multis verbis prædicat. Hæc opinio non potest non multis arridere, quippe quæ rationi nostræ corruptæ, præ communi sententia doctorum, magis conformis videtur, & quis eam non libenter amplecteretur, si modo veritati revelatæ & justitiæ divinæ non adversaretur?

§. II.

Communem autem perpetuo fuisse totius Ecclesiæ Christianæ doctrinam, impios sine fide defunctos igni æterno adjudicatum iri, omnes uno ore fatentur, quod simul veterum monumenta, omniumque nostrorum scripta satis comprobant. In primis jam post nativitatem CHRISTI seculis a tota Ecclesia Christiana istud fuisse creditum Cl. VEJELIUS in *Disfert. de cura veterum circa hæreses*, firmissimis probavit argumentis, nec JUSTINUM MARTYREM, nec IRENÆUM Scriptores secundi seculi, unquam finem pœnæ infernalem docuisse, a Dn. à FELDEN, ante aliquot annos demonstratum est. Fallunt & falluntur, qui Origeni Græcam Ecclesiam assensum præbuisse dicunt, contrarium non solum docet HAYMO in serm. 24. *Origenis sententiam de liberatione damnatorum nemo S. Patrum corroborat sed omnes denegant*, sed & Græcorum Patrum scripta, & licet hodierni Græci medium statum admittunt, in quo seu loco tenebroso, carente igne, animæ imperfectorum purgantur, infernale tamen supplicium æternum statuunt. Quoties in Ecclesia reperti sunt, qui
hosce

hosce errores seminaverint, eos statim suppressere & eradicare seduli laborarunt, Ecclesiæ doctores. Hinc Origenis & Origenistarum sententia de dæmonum & impiorum tormentis temporariis in Synodo Oecumenica Vta Anno 552. publice damnata fuit, sic enim habet articulus nonus illius concilii: *Si quis dicit aut sentit, temporaneæ esse dæmonum ac impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, sive restitutionem dæmonum aut impiorum hominum futuram, anathema sit. Anathema sit Origenes, una cum ejus detestandis & execrandis dogmatibus & homini omni, qui hæc sentit & asserit, aut aliqua ex parte, quocumque profus tempore ea defendere audeat.* Et cum tempore reformationis Anabaptistarum secta caput suum tolleret, nostrates hunc errorem in Augustana Confessione, quæ Orthodoxorum Symbolum est, damnarunt. Ita Artic. 17. p. m. 14. *Item docent, quod CHRISTUS apparebit in consummatione mundi ad iudicandum & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut SINE FINE crucientur, & damnant Anabaptistas, qui sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse.* Sic & hodie publica autoritate errorem illum diu jam sopitum revocantibus obviam itum fuit. Rex enim Borussiae A. 1700. d. 25. Junii promulgavit edictum, quo æternum Evangelium in censum librorum hæreticorum retulit: Verba ita habent: *Dasß allerhand irrige und ketzische Lehr. Schrifften / als nemlich das so genannte Ewige Evangelium / dergleichen des Böhmenis / Weigels / Schwentfeldes / Joris, Brecklings / Angeli Mariani, Baumanns und andere Dävkerische Schrifften bißher verkaufft und unter die Leute gebracht / woran J. K. Maj. ein höchstes Mißfallen tragen / und derselben Gebrauch gänzlich verbotthen wissen wollen. Wie denn J. K. Maj. in specie wollen! daß das abusive also genannte Ewige Evangelium in*

dero Lande einzuführen und zu verkauffen verbothen seyn solle.
 Similiter Amplissimus *Senatus Noribergensis* ad conservandam
 puritatem doctrinæ, hujusq; præsertim articuli, *Decretum de*
Pietismo 1707. d. 20. Octobr. publicavit: in quo & hæc continentur
 verba: Dieweil von der Verdammniß der Gottlosen und der
 Teuffel nicht nur mit durren und hier keine ambiguität leiden-
 den Worten in dem 17. Art. der A. C. wo das lateinische sine fine
 den Sin des teutschen ewig ganz deutlich exprimiret/gelehret
 wird / quod CHRISTUS impios homines ac diabolos conde-
 mnabit, ut sine fine crucientur, und verworffen werden / quæ
 sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum
 futurum esse, sondern auch die dawieder lauffende Lehre dem
 ohne dem ruchlosen Hauffen leicht zum Stein des Anstosses
 werden kan: Als wil ein Hochweiser Rath / daß im bedürffen-
 den Fall / und wenn es von nöthen geachtet wird / die Gründe
 unserer Lehre aus Gottes Wort gewiesen / und die Schwäche
 der gegenstehenden Meinung mit den allergründlichsten Be-
 weissthüchern der Schrift / andere schwächere bey Seite
 gesetzt / damit man desto weniger etwas wieder diese klare
 Wahrheit einwenden könne / gezeigt werde / hingegen alle und
 jede Lehre von Vertheidigung / Beschönung / incrustirung /
 recommendation, und allem dem / was zur Beförderung der
 unter dem Nahmen des Ewigen Evangelii begriffenen Lehre
 de sine pœnarum infernalium, dienlich seyn kan / so wol öffent-
 lich als heimlich sich enthalten sollen. Hinc sole meridiano
 clarius est, nunquam ab Ecclesia orthodoxa hoc receptum
 fuisse dogma. Nec ipsi autores & defensores æterni Evan-
 gelii ac ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων istud negare audent, quin
 potius aperte dicant, in ultimo hujus mundi tempore hoc
 demum revelari debuisse, quemadmodum tempore Aposto-
 lorum doctrina de congregatione gentilium ad veram Eccle-
 siam.

fiam, à Paulo per Spiritum S. primo fuerit patefacta, quod sane hanc doctrinam valde dubiam & suspectam reddit: licet enim haud diffiteamur, aliquos articulos fidei per successum temporis clarius fuisse patefactos, quod de CHRISTO fundamento nostræ salutis ejusq; persona quam certissimum est, cum primo ut semen mulieris, *Gen. III.* deinde ut semen Abrahami, *Gen. XII.* postea ut progenies Davidis, *1. Sam. VII. &c.* mundo fuerit revelatus, nullum tamen ex Scriptura Sacra proferri potest exemplum, aliquid ut articulum fidei ab Ecclesia orthodoxa fuisse habitum, cujus contrarium à Spiritu S., præsertim jam post constitutum Canonem sit revelatum: nonne ergo hoc novam hanc doctrinam suspectam redderet? Nonne hoc providentiæ divinæ maxime adversaretur, tantum errorem, de æternis & nunquam finiendis suppliciis, per tot secula in Ecclesia fuisse creditum?

§. III.

Cum ergo nostræ Ecclesiæ dogma firmiter superstructum sit æterno verbo divino, & vana illa spes, de liberatione ex infernali supplicio ingentem securitatem pariat, laudandæ sane sunt, qui veritatem illius contra dissentientes defendere operam navarunt. ORIGENI ejusque asseclis AUGUSTINUS & HIERONYMUS scriptis suis gnaviter se opposuerunt & ingens numerus Episcoporum in dicto Concilio Constantino-politano hunc errorem anathemate feriit. Contra ANABAPTISTAS & qui post illos eorum amplexi sunt opinionem, CHILIASTAS puto, ex veteribus ANDREAS MUSCULUS, JUSTUS MENIUS, BULINGERUS, WIGANDUS & ex recentioribus præter Systematicos Jo. GERHARDUM, ABR. CALOVIVM, ITTIGIUS, GRAPIUS in Dissertt. Inauguralibus, NITSCHIUS in convicti-one ficti Evangelii æterni, Engelschall in præjudiciis de capitibus fidei, KOCH Pastor Magdeburgensis, DIET. FRIED. CLA-

SENIUS in animadversionibus suis theologicis & autores der
 Unschuldigen Nachrichten de anno 1702. LUD. MELCHIOR
 FISCHLINUS in theatro Apocatastaseos destructo, und vollige
 Überzeugung / daß das so genannte Ewige Evangelium falsch
 sey / Jo. WOLFFG. JÄGER in examine Theologiæ novæ & alii
 evidentissimis scripturæ S. testimoniis demonstrarunt, ange-
 los hominesque infideles inferni suppliciis nunquam libera-
 tum iri. Hinc supervacaneum & inane videri posset, tam
 præclare dictis aliquid addere vel jam satis solide refutata ite-
 rum refellere. Cum vero adversariorum turba errores suos
 disseminare latiusque dispergere nunquam cessat, nec inter-
 mittit, iisdem argumentis eos iterum atque iterum incru-
 stare, quis vitio nobis verteret, revelatam veritatem contra
 hujus generis homines defendere. Nil inconsulti ergo me
 facturum spero, qui Ecclesiis Sundenfibus præfectus, cuique
 cura conservandæ veræ doctrinæ commissa est, ut in Disputa-
 tione, quam vocant, Inaugurali habenda, communem hacten-
 us orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam defendendam mihi sumam.
 Impulit me non solum veritatis & puræ doctrinæ amor, sed &
 nomine Sundenfis Ecclesiæ, quæ ad hunc diem veritatis &
 orthodoxiæ tenacissima est, publicum testimonium præbere
 volui, quantopere ab omnibus erroribus præsertim novis
 fanaticis abhorreat.

§. IV.

Veritatem igitur hujus rei investigaturi caveamus, ne
 ductum sequamur rationis nostræ, quæ corrupta post lapsum
 facile hallucinatur, & de rebus divinis sine Spiritus S. illumi-
 natione nil recte judicare potest, sed ex sola revelatione peten-
 dum esse existimemus, quicquid certi de ea nobis sit creden-
 dum; per revelationem autem intelligo eam, quæ Canone
 sacro comprehenditur, exulent heic novæ revelationes, quas
 enthu-

enthusiastæ & exstructores æterni Evangelii jactitant: quicquid à DEO certo profectum esse scimus, hoc solum pro infalibili norma & judice hujus doctrinæ est habendum: DEUS est, qui solus atrocitatem peccati satis cognitam habet, nec alius nisi ipse justus Judex scit, quæ pœna peccatoribus debeatur, quicquid ergo DEUS de hac re verbo suo revelavit, citra omne dubium pro vero est habendum, quamvis rationi nostræ haud convenire videatur: nec in re tam ardua secundum faciliorem captum nostrum est judicandum, quasi illud vero magis sit consentaneum, quod facilius a nobis possit apprehendi, absit! Verum quidem est facilius esse concipiendum, DEUM post multorum seculorum intervalla damnatos ad æternam perducturum esse beatitudinem, quam æternis cruciatibus eos esse afflicturnum; ast non secundum faciliorem conceptum nostrum est judicandum, sed in veritate revelata nobis omnino est acquiescendum. Nonne facilius concipies, DEUM ex sola gratia, sine ulla satisfactione homini pœnitenti peccatum condonaturum esse, quam interventu acerbissimæ passionis, exinanitionis filii DEI, Domini nostri JESU CHRISTI? nihilominus in hoc cardo salutis nostræ versatur, ut satisfactionem CHRISTI pro nostris peccatis fide apprehendamus. Nec quoque inficias imus, piorum ac fidelium animos magno sæpius angore vel mœrore affici, quando æternitatem tormentorum considerant, & hæsitare, quomodo hoc infinito ejus amori conveniat. Sed perpendendum est, justa DEI esse judicia, quanquam nobis minime justa esse videantur.

§. V.

Scrutantibus proinde nobis Scripturam S. plurima tam in Veteris quam Novi Testamenti libris occurrunt dicta, quæ æternam reprobationem ad infinitos damnatorum cruciatus

ciatus satis aperte docent. Quam apertum est effatum Esai-
 anum Cap. LXVI. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum
 non exstinguetur*, ubi ignis inextingvibilis, ibi & corpus erit
 perpetuo combustibile, & ubi vermis nunquam morietur, ibi
 erunt, qui vermibus corrodentur. Salomon Ecclesiast.
 XI. 3. *sive ceciderit arbor ad meridiem sive ad aquilonem, quo loco ceci-
 derit arbor, ibi futura est.* DANIEL de improbis asserit, quod
 resurrecturi sint *in aeternum opprobrium*, sicut justi in aeternam
 vitam Cap. XII. v. ult. Quid clarius verbis & sententia decreto-
 ria CHRISTI judicis, quando ait, *illi scilicet maledicti, ibunt
 in aeternam poenam*, & Apocal. XIV. 11. *fumus tormentorum ipso-
 rum ascendet in secula seculorum, nec habebunt requiem die nec nocte.*
 Et 2. Thess. I. 9. ait Apostolus, *poenam pendent improbi aeterni exitii.*
 Ut plura alia taceam; haud exiguam attentionem meretur,
 quod de Juda proditore CHRISTUS inquit Marc. XV. 2. *satius
 esset illi, quod nunquam natus fuerit*, scilicet propter aeternam
 damnationem; ubi glossa HEDINGERI est laudanda; alias
 esset, inquam, bonitas DEI, natum esse, si homo salvaretur,
 licet post perpeffos diuturnos cruciatu. Cl. DN. CARL GODFR.
 Engellschall *in praedictis seculi moderni de capitibus fidei p. 772. seqq.*
 in certas classes distingvit loca Scripturae aeternitatem poena-
 rum probantia, quaedam damnationem infidelium ut aeter-
 nam describunt, *Matth. XXV. 4. 2. Thess. I. 8. 9. Apoc. XIV. II. XX. 10.*
 quaedam praedestinationem seu electionem ad vitam aeter-
 nam particularem definiunt, *Matth. XX. 16.* quibusdam asse-
 ritur homines in eodem statu, in quo moriuntur, perpetuo
 esse mansuros, *Eccles. XI. 3.* quaedam perpetuam impiis minan-
 tur iram, *Job. III. 36. &c.* Prae ceteris unicum hunc saltem jam
 consideraturi sensum hujus effati paucis eruemus & ex eo opi-
 nionem de speranda salute damnatorum solide refutare cona-
 bimur.

bimur. Adsit DEUS nostris conatibus, dirigat mentem & calamum, ut errorum tenebræ dispellantur, veritas autem stabiliatur in sui nominis gloriam, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, Amen.

Verba JOHANNIS BAPTISTÆ ita fluunt ex Evangelio

Johannis III. 36.

Ὁ πισεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, ἔκ οὐσίας ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτὸν.

Vulgata vetus.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.

Novæ.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non paret filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.

SEB. SCHMIDII.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super illo.

Germ. LUTHERI.

Wer an den Sohn gläubet / der hat das ewige Leben / wer dem Sohn nicht gläubet / der wird das Leben nicht sehen / sondern der Zorn GOTTES bleibet über ihn.

§. VI.

Duplici ratione, hisce verbis, damnatorum æternum asseritur supplicium: primo de pœna damni dicitur: incredulos nunquam visuros esse beatitudinem: de pœna sensus, iram DEI in perpetuum supra eos esse mansuram. In priori asserto Subjectum & Prædicatum nobis consideranda sunt. Subjectum est: Qui autem incre-

incred-

orbi persuadere conatus fuit, perpende quæso, quod sit *ὁ λόγος*,
DEUS natura, Joh. I. *verus DEUS*, I. Joh. V., *DEUS super omnia*
benedictus, Rom. IX. *Jehovah Dominus templi*, cujus in honorem
 templum Hierosolymitanum erat exstructum, cuius cultus
 divinus in eo fuit habitus, *Malach. III. 1.* quod de creatura
 minime dici potest: est potius *creator omnium, quæ facta sunt*,
 Joh. I. non creatura ipse, sed cum Patre & Spiritu S. ejusdem
 essentia divina, I. *Joh. V. 7.* Et quænam creatura, potentis-
 sima quamvis & maxima, si angelicam quoque naturam longe
 superaret, potuisset nos salvare? Creator ipse, qui est verus
 DEUS, solus valuit esse restaurator omnium; & qui potu-
 issent infinitæ satisfacere justitiæ divinae & ab infinitis crucia-
 tibus & potentia diaboli nos liberare, cujus essentia fuisset
 finita? Ipsum ut verum DEUM Salvatorem nostrum salu-
 tamus, honoramus, adoramus, nec in creaturam, sed in
 DEUM ipsum omnis fiducia & spes nostra est collocata.
 Multo minus *factum DEUM* habemus, quod *Socinianorum* est
 figmentum, quod scilicet JESUS CHRISTUS, sola gaudens
 humana natura, à Maria Virgine ut homo tantum natus, non
 DEUS antea genitus, post baptismum vero tempore jejunii
 in deserto à DEO in cælum raptus, ubi à DEO edoctus & in
 Filium DEI sit constitutus æque ac Pater divino honore &
 cultu venerandus: quod figmentum verbis CHRISTI *v. 13.*
hujus Capituli, nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit in cælo,
Filius hominis, qui est in cælo, superstructum, maxime fallit; in
 hoc enim dicto de duabus in CHRISTO naturis sermo est, de
 divina dicitur, quod è cælo descenderit, non localiter, sed per
 manifestationem sui, incarnationem scilicet; de humana vero
 quod ascensura sit, minime vero raptus CHRISTI hominis
 in cælos hic asseritur, & Filius hominis hic est potius voca-
 bulum personæ, quæ divina & humana natura constat, quam
 naturæ.

C

naturæ.

naturæ. Præterea CHRISTUS homo & DEUS *semel tantum* ut sacerdos noster *per sanguinem suum in cælum ingressus est*, Ebr. IX. 12. 24. nec ejusmodi indiguit raptu, ut à Patre doceretur, quippe qui in terra *Spiritu & potentia unctus fuit*, Act. X. 38. Falsissimum quoque est, eum ante nativitatem ex Maria non extitisse, quippe jam ante Johannem Baptistam, *Job. I. 15.* ante Abrahamum, *Job. VIII. 58.*, imo ante omnia secula, *Job. I. 1.* fuisse dicitur, quod de humana ejus natura minime affirmari potest. Hic Filius DEI nostræ salutis autor non ut ἀσαρκος, quemadmodum in V. T. sed ἐσαρκος, h. l. considerandus est, & licet humanam naturam non assumerit in V. T. tamen ut ἐσαρκος ac pro peccatis hominum mactandus pro autore salutis habitus fuit, sic enim in hoc capite describitur, quod Pater ei omnia tradiderit; quod non secundum divinam, sed humanam naturam factum est, & quod exaltandus sit in crucem, quod itidem humanæ naturæ competit. Ita ad reparandam salutem omnino necessarium erat, ut Filius DEI humanam nostram assumeret naturam, quia mortem, peccati stipendium, pro hominibus ut solus DEUS perpeti non poterat. Non *cæleste* quidem corpus ab initio mundi, seu ante secula habuit, quod contra Jo. WILH. PETERSENIUM hoc propugnantem, solide satis demonstravit Vir Clarissimus DN. BRANDAN. HENRIC. GEBHARDI, Fautor meus æstumatissimus. Nec *angelicam* assumpsit naturam, sed tantum humanam, nostræ plane, excepto peccato, similem, docente Apostolo Ebr. II. 16. *Non enim usquam angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit.* Falsa est interpretatio Petersemiana, quod hic non de assumptione naturæ in suam hypostasin, sed de assumptione gratiosa in suum corpus spirituale seu certum gradum gloriæ sermo sit, quod inde probare conatur, quia vox angeli concretum non abstractum significet, non naturam angelicam,

licam, sed personas angelorum. Ast hæc interpretatio, quæ non primum a Domino Peterfenio est inventa & adducta, sed jam dudum à Socinianis, incarnationem Filii DEI negantibus, approbata, jam a nostratibus sæpius improbata & refutata est, & ut paucis veram dicti hujus explicationem afferamus, ductum B. DN. SEB. SEHMIDII in h. l. secuti, sciendum (1) quod Apostoli scopus hoc loco sit, probare, Filium DEI ad liberandum genus humanum debuisse nostram assumere naturam, quia nusquam Scriptura S. promiserit, ut assumeret angelos, sed tantum semen Abrahamæ, quod ex particula *γαρ enim*, quæ causam præcedentis asserti v. 14. (CHRISTUS particeps factus est carnis & sanguinis sicut infantes, ad liberandum homines à morte:) indigitat. (2) Libenter largimur ei, quod per Angelos concretum non abstractum intelligatur, nihilominus de assumptione in hypostasin Filii sermo est: cur Paulus ita loquatur ratio est in promptu, angeli enim non multiplicantur uti homines per semen, nec semen suum habent, angelum itaque aliquem Filius DEI assumpturus fuisset, si assumere debuisset, Pluralis autem numerus est distributivus, ac si diceret, non enim unum aliquem ex angelis assumpsit. Atque hæc etiam causa est, quare Apostolus mox phrasin seu rationem loquendi variaverit, nec homines, aut Abraham, sed semen Abrahamæ dixerit, nimirum natura humana est multiplicabilis, & inde natura assumi potuit, non homo debuit assumi. (3) Semen Abrahamæ in singulari primo & proprie individuum notat, sicut Gal. III. 16. individualiter sumitur, ab hac proprietate vocis nulla necessitas nos cogit recedere. Oppositio ad angelos hæc est: Non enim assumpsit Filius DEI unum aliquem ex angelis, sed assumpsit semen Abrahamæ, quod non angelus aliquis est, sed humana natura individua. (4) Verbum *ἐπιλαμβάνει*

CAVSIV generaliter notat accipere, sumere quocunqve modo
 & juxta materiam substratam. Etiam si itaqve per se non
 significat unionem hypostaticam, aptum tamen est, ut de ea
 usurpari possit, quemadmodum nusquam apud Latinos assu-
 mere significat unionem hypostaticam, de qua illi quicquam
 non sciverunt, rectissime tamen ad rem illam revelatam ad-
 hibetur significanda, ut dicamus, assumere hypostaticè,
 assumere in personam; & materia substrata ita exigit: Nam
 est hic (1) assumens Filius DEI: qui propterea est persona,
 actiones namq; sunt suppositorum; (2) assumtum est semen
 Abrahæ, humana natura ex Abrahamo descendens; (3)
 modus assumendi hic est, ut reliquis hominibus reddatur
 assumens similis. Quomodo vel hoc fieri potuit, nisi in per-
 sonam suam acciperet? Est præterea (4) ejusmodi assu-
 mere quod v. 14. expositum est per participare de carne &
 sanguine, ut alii homines participant (5) in V. T. hoc assu-
 mere semen Abrahæ per promissiones manifeste explicatum
 est, quod Messias debuerit esse filius Abrahami & verus homo
 nasci. Et haud obscurum est, quod Apostolus digitum inten-
 dat ad loca, in quibus Abrahamo promissio de semine ex ipso
 nascendo facta est. Ibi non assumit Filius DEI angelos, sed
 expresse semen Abrahæ, h. e. dicit & promittit assumturum,
 & si τὸ δῆλον h. l. pro usquam accipietur, uti Lutherus recte
 vertit, sensus hic erit! Non enim usquam in universa Scri-
 ptura legitur, dicitur, promittitur, quod Filius DEI angelos
 assumturus esset, sed semen Abrahæ. Cumq; proinde quam
 verissimum sit, Filium DEI non angelum aliquem, seu ange-
 licam naturam, sed humanam tantum assumserit, verissimum
 quoq; est, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM non
 esse Salvatorem lapforum angelorum seu diabolorum, sed
 tantum fratrum suorum, hominum scilicet, nam redempturus
 alterum

alterum ut *Goël* ei cognatione conjunctus esse debebat, *Num.*
XXXV. 12. Ruth. IV. 4. Nihilominus PETERSENIUS, qui dogma
 Apocatastaseos defendit, Filium DEI etiam diabolorum
 expiatorem esse vult, quod & probare conatur ex *1. Job. II. 2.*
 ubi CHRISTUS *expiatio totius mundi* dicitur, ad quem & dia-
 bolos sine dubio referendos esse censet, item ex *Job. III. 17.* ubi
 CHRISTUS de Patre suo affirmat, eum Filium suum misisse
 in mundum, ut mundus per eum servaretur. Sed manifestum
 est sub nomine mundi non comprehendi in Scriptura S. dia-
 bolos, quia sacræ literæ diabolum disertis verbis à mundo
 distinguunt, dicitur enim *DEUS mundi, Princeps mundi, Dominus*
mundi, Seducor mundi, qui totum mundum seducit, & Spiritus S.
 à CHRISTO promittitur, ut *mundum arguat*, quis dicet, Spi-
 ritum S. etiam diabolos arguisse, præsertim ob judicium,
 quod princeps mundi ejectus sit, *Job. XVI. 11.* Et si illorum
 quoque esset redemptor, cur illis non æque ac hominibus pro-
 ponitur propitiatorium, ut fide in illum salventur, quod ipse
 PETERSENIUS negat: & Scriptura dicit, Diaboli credunt
 DEUM, sed contremiscunt; & confitentur ex binis obsessis,
Matth. VIII. 29. CHRISTUM JESUM venisse ad eos crucian-
 dos, non ergo ad eos salvandos. Et cum homini statim post
 lapsum CHRISTUS ut propitiatorium fuerit propositus,
 cur diabolis demum post 50000. & quod superat, annos?
 Filius ergo DEI incarnatus solum est objectum fidei *nostra*,
 non diabolorum. Estque ille *solus atque unicus auctor salutis, in nullo*
enim alio salus est sub caelo, Actor. IV. 12. & Joh. XIV. 6. ipse Sal-
 vator ait: *Ego sum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem, nisi*
per me, & David Ps. XVI. 4. *Qui alium sectantur eorum dolores*
multiplicabuntur, inde Apostolus Petrus Actor. II. 21. *qui nomen*
Domini invocabit, salvabitur. CHRISTUS est ille Dominus
 noster, qui eum invocabit vera fide & fiducia, non peribit.

Ille est Adamus cœlestis, per quem illi, quos primus Adamus peccato suo infecit, salvabuntur, si ipsi modo non repugnant. Sicut per unius peccatum in omnes homines condemnatio, ita per unius justitiam in omnes homines justitia vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita etiam per obedientiam unius justii constituntur multi, *Rom. V. 18. 19.* Salus omnium eorum, qui salvandi sunt, ab hoc unico dependet, nulli cruciatus, nulla tormenta quæquam possunt salvare, nec quis ultimum quadrantem de suis poterit solvere.

§. VIII.

Medium, quo omnis salutis, per hunc Filium DEI recuperatæ, participes fieri possumus, ex parte nostra est vera *Fides* in CHRISTUM, hinc omnes, qui fide carent, & quamdiu ea carent, salute quoque destituuntur. Johannes in dicto nostro dicit, *qui credit in filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio &c.* Differunt quidem hi tres diversi loquendi modi, *credere Filium, credere Filio, & credere in Filium*: *Credere enim Filium*, est credere Filium DEI esse, quod & diaboli credunt, *credere Filio* proprie & vi vocum nihil aliud significat, quam credere verbis Filii. *Credere in Filium*, est fiduciam in eum collocare; hoc tamen loco τὸ *non credere Filio* idem significat ac non credere in filium, quia credere in Filium & non credere Filio à Johanne sibi invicem opponuntur: & τὸ credere Filio pro vera fide in CHRISTUM est accipiendum: sicut agnitio CHRISTI sæpius ipsam fidem denotat *Es. LIII. 11. Job. XVII. 3. Job. X. 14.* licet agnitio CHRISTI proprie non significet fidem, sed improprie per Synecdochen partis pro toto, ita & hoc loco credere Filio Synecdochice seu per tropum veram & salvificam innuit fidem. Quidam interpretantur ὁ δὲ ἀπειθεύων, qui non obtemperat Filio, qui inobediens est, uti

uti ERASMUS, TIRINUS, PISCATOR, BRUGENSIS & alii. Vide POLI SYNOPSIS in h. l. intelligunt tamen per Synecdochen generis, obedientiam erga mandatum credendi in CHRISTUM seu obedientiam fidei, Rom. I. 5. THEOD BEZA ita commentatur: *Possimus sic vertere, qui se persuaderi à Filio non sinit. Est enim duplex ἀπειθεῖα (1) in intellectu, quæ quia doctrinae veritati non vult assentiri; quò sensu opponitur τὸ πισεύειν, ut h. l. & Act. XII. 2. (2) in voluntate & moribus ut Act. VIII. 13. & saepe. Omnes tamen veram indignant fidem, quæ non solum in agnitione & assensu, sed præsertim in vera fiducia consistit, quæ non est mortua, sed viva & fructifera. Hæc fides est unicum medium ex parte nostri, quò æterna supplicia evitare possumus, qui credit in unigenitum Filium DEI, non peribit, sed habebit vitam æternam, Joh. III. qui credit, salvabitur, qui non credit, condemnabitur, Marc. XVI. & quia CHRISTUS pro omnibus se tradidit, 2. Tim. II. & omnium hominum peccata expiavit, 1. Joh. II. 1. quæ DEUS ei injecit seu imputavit, Es. LIII. quæ & portavit: cumq; DEUS omnes serio salvos vult esse, 2. Petr. III. nec quenquam perire, ideo & COMMUNE medium est. Graviter igitur errat DN. HERBERT. de CHERBURI, statuens, naturale aliquod medium necesse esse, quò omnes homines possent salvari, quæ causa eum impulit, religionem aliquam naturalem excogitare: at fidem esse illud universale medium, non naturale, sed supernaturalis, Scriptura aperte satis docet. Hinc incredulitas, post lapsum, primaria, imò unica causa damnationis statuenda est. Omnia quidem peccata merentur DEI judicium & condemnationem, atque etiam reatum mortis inferunt, tamen post revelatum Evangelium non nisi mediante incredulitate ipsam mortem actu inferunt, quatenus scilicet non credentibus peccata sua imputantur & non remittuntur. Nimirum post patratum lapsum omnia peccata proxime & immediate mortem*

mortem æternam inferebant actu, & necessitatem ejus inducebant, aſt poſtquam Prot-Evangelium publicatum in Paradiso fuit & in propitiatorium Filius DEI mediator propoſitus, ſola incredulitas immediate mortem infert, atq; efficit, ut peccata hominibus imputentur & *ira deſuper illos maneat*, Joh. III. 17. VIII. 24. XV. 22. 25. Col. III. 6. 1. Petr. II. 25. Eſt enim incredulitas privatio mediæ damnationem promeritam avertentis, ut B. DN. JO. CARPZOVII verbis loquar in *Iſa- goge ad Libb. Symbol. p. 471.*

§. IX.

Et cum nullius hominis ſit, ex naturæ viribus in CHRISTUM credere; *Nemo enim poteſt CHRISTUM Dominum vocare*, (i. e. ſuum Dominum, cujus ope ex Satanæ & peccati poteſtate ſit ereptus, quod eſt credere) *niſi per Spiritum S.*, 2. Cor. XII., ipſe DEUS ſua omnipotentia eam ut operetur neceſſe eſt, & ecquis alius lucem fidei accendat, quam is, qui ex tenebris lucem prodire juſſit, hinc Coloff. II. 12. *ſuſcitati eſtis per fidem, quam DEUS operatur.* Iſte autem non immediate, ſed certis mediis nobiſcum agere conſuevit, & ad fidem progignendam verbo & Sacramentis uti ſolet. Ubi ergo verbum DEI non pure prædicatur & Sacramenta non rite adminiſtrantur, fides ordinariè accendi nequit, & ubi mediæ ſalutis deficiunt, nec ſalus ipſa certo erit ſperanda. Cruciatuſ, plagæ, tribulationes neminem poſſunt convertere, ſolum verbum DEI eſt efficax illud medium, quo homo in peccatis mortuus illuminatur, regeneratur, vivificatur & convertitur. Compungunt quidem tribulationes corda hominum & remouent interdum ea, quæ conuerſionem magnam partem impedire ſolent, & recordationem peccatorum iræq; divinæ excitant, nullo tamen modo efficacia ſunt mediæ, quæ veram fidem, firmam fiduciam in DEUM & CHRISTUM JESUM operentur,

rentur, hoc folius est verbi DEI, & quæ hujus sunt sigilla, Sacramentorum. DEUM & sine mediis fidem posse largiri, nemo quidem negabit, at non de potentia, sed voluntate & ordine ejus nobis sermo hic est, nec à posse ad esse valet consequentia.

§. X.

Quicumque ergo increduli sunt, & sine fide decedunt ex hac vita, illi sunt, de quibus Johannes Baptista enunciat; *non visuros esse vitam, sed iram DEI mansuram esse super illos.* Horum autem maximum fore numerum ipse Salvator apertis docuit verbis: *Multi sunt, inquam, vocati, pauci vero electi,* Matth. XXII. Idem duplicem & diversam viam ad inferos & superos ducentem describens, illam frequentibus viatoribus stipatam, hanc vero à paucis inveniri dicit. *Matth. VII.* & si per totum terrarum orbem oculos circumferes, facile deprehendes, minimam incolarum partem CHRISTUM unicam Salvatorem agnoscere, maximam vero gentibus idololatricis, hæreticis & impiis repletam esse: Hem! quis non deplorabit horum miseriam, tantamque multitudinem vita beata & æterna exclusam iri? Varii quidem sunt generis, qui fide destituuntur, omnes tamen, qui increduli decesserunt, non effugient peccatorum suorum pœnas. Quantus est numerus, qui CHRISTUM JESUM plane nesciunt, ut Ethnicorum per maximam terrarum orbis partem dispersa multitudo: Omnes, qui illum non agnoverunt ut verum DEI Filium, quales sunt Ariani, Sociniani hujusque generis alii, sine cujus agnitione fides sane vera esse nequit: Omnes, qui audiverunt quidem de ejus persona, officio, passione & beneficiis, sed eum reprobarunt, sive sint judæi sive ethnici: Omnes qui impœnitentes vitiis renunciare noluerunt ac sine fide in alteram vitam migrarunt: Omnes, inquam, qui CHRISTUM JESUM ut

D

Salva-

Salvatorem mundi agnoverunt quidem, sed hypocritica tantum & mortua superbierunt fide, quales *Matth. VII.* describuntur; Omnes denique qui veræ fidei naufragium fecerunt, uti Judas & alii *πρόσκαίροι* hoc verbo comprehenduntur, *ὁ δὲ ἀπείθετο*. Vah! quantum numerus est eorum, quibus salus æterna denegatur & ira DEI annunciatur, & quamvis certi futuri sint gradus damnationis, quia Sodoma & Gomorrha tolerabilius iudicium præ Capernaitis & Bethsaidæ incolis habebunt, beatitudine tamen omnes carebunt, & iram DEI intolerabilem sentient. Heic de Infantibus tam Christianorum sine Baptismo defunctorum, quam ethnicorum aliorumque infidelium quæri solet: an & illi hisce sint annumerandi, qui in æternum damnandi sint? Quæ non curiosa nec frivola dicenda est quæstio, sed varios fructus parit, eapropter non plane intactam eam præterimus. Respondemus ergo, si fide caruerunt & sine CHRISTO mortui sunt, impossibile est, ut salventur, ita docet nos Scriptura S. *Qui credit & baptizatus fuerit, salvabitur, qui non credit, condemnabitur, Marc. XVI. & Joh. III. ait CHRISTUS, nisi quis renatus fuerit superne, non videbit regnum caelorum: Et sine CHRISTO nulla est salus, Actor. IV. & cum jam natura sunt filii iræ, i. e. qui non solum ira digni, sed & sub ira DEI constituti, gratiæ ejus expertes, qua ratione remissionem peccatorum sine CHRISTO adipiscuntur? Sed sciendum est, DEUM & sine baptismo & verbo fidem largiri posse, quis enim hoc omnipotentia ejus derogaret, quod simul exemplo Johannis Baptistæ, qui in utero matris suæ neque circumcisis, neque baptizatus CHRISTUM fide agnovit, satis probatum est? Largiturum eis esse fidem DEUM misericordiarum, quam maxime probabile Summis Theologis, DANHAUERO, CARPZOVIO, SCHERZERO aliisque visum fuit. De Christianorum infantibus sine baptismo defunctis*

defunctis nulli dubitamus ob preces Ecclesiæ & semini etiam
 nostro factas promissiones. Sed & aliorum infidelium sobo-
 lem hac gratia DEI gavisurum esse, probabile fane nobis
 videtur. Rationes probabilitatis sunt in promptu, quia
 scilicet omnes per CHRISTUM sunt expiati, omnia eorum
 peccata agnus mundi portavit, eorum Sacerdos, Expiator,
 Redemptor & Salvator factus: DEUSque misericors totum
 mundum, quos inter & hi numerandi sunt, ita dilexit, ut
 Filium suum unigenitum illis Salvatorem dederit, vultque
 adhuc serio, ut omnes salventur, *nec quenquam vult deperditum*,
 2. Petr. III. Certum quidem ordinem salutis, certaque media
 DEUS ordinum amantissimus præscripsit salvaturis; qui
 vero media salutis non petulanter & pertinaciter respuunt,
 sed sine eorum culpa eis privantur, cur non à DEO ita dili-
 gerentur, ut fide eos donaret? Audiamus de hac re disse-
 rentem B. DN. D. DANHAUERUM in Hodosoph. Phœnom. X.
 p. m. 1001. *De infantibus Ethnicis cita morte abreptis solum manet
 questio, sed manet questio. Hic fibula esto ac linea, ubi Scriptura
 (quæ ordinem divinum describit, non item œconomiam) expresse nihil
 definit. Quamquam quod bene de iis speremus, faciat (1) analogia
 fidei, ex qua constat neminem absolute reprobari, solam resistantiam
 actualem mediis fidei adversam damnare, cujusmodi contumacia in
 illis infantibus non est. (2) Exemplum infantum Ninivitarum. Erant
 illi geniti extra Ecclesiam à parentibus idololatriis: Et tamen Dominus
 eos ἐλεῆμονι ὀφθαλμῶ respexit, ne perderet eos morte prima, sed
 gratiam vocationis ipsorum parentibus faceret, atque parceret. Mirum
 bis infantibus fuisse paritum, atque morte prima ἀσουλίαν præstitam,
 non item infantibus Sodomorum, antediluvianorum, Solymitanorum:
 at desinet mirari, qui perpendet, Ninivitanos illos quoque cum paren-
 tibus suis suo modo pœnituisse; caruisse lacte materno atque hinc vagi-
 tibus divinam clementiam implorasse, quin & à matribus ad illicitum
 miser-*

miseri cordiae expositos. Nunc si infantibus extra Ecclesiam natis Pater misericordiarum cavet à morte prima, multo magis eisdem cavet à morte secunda, quæ omnium malorum maximum est. Quæ DANHAUERI B. DN. SCHERZERUS in Breviario Theol. Hulsemaniano pag. 1036. repetiit & addit. An enim abbreviata est manus Domini, ut non posset, licet nobis plane incognita Spiritus S. operatione extra ordinem illis opem ferre: Vide quæ pag. 1038. affert. Liceat quoque B. JO. BEN. CARPZOVII producere verba in Isagoge ad Libb. Symb. pag. 154. Quod ab Aug. Conf. hic ponitur, id nonnulli Doctores absolute acceperunt, atque intellexerunt, quasi omnes infidelium liberi extra Ecclesiam nati hic damnentur, sententiaque condemnatoria absolute in illos feratur, prout DN. PAULUS TARNOVIUS, Prof. Rost. in Comm. super Johannem Part. I. Qv. 5. pag. 265. non modo hunc articulum cum Apologia, sed etiam antithesin Articuli IX. eo trahit atque refert, & ἐπιχειροῦσας ac judicium de infidelium liberorum salute suspendentes, HUNNIUM in Cap. 7. Genes. qv. ult. pag. 103. MEISNERUM in Decade I. Anthropol. Disp. 7. qv. 5. pag. 208. & seqq. GESNERUM Disp. 14. in F. C. Cap. 11. & 12. pag. 352. refutat. Verum loquitur A. C. prout planum & clarum illud est, de illis, qui plane non regenerantur. Fieri autem non posse, ut infantes isti non extraordinarie regenerentur & membra Ecclesie fiant, Aug. Conf. non dicit. Merito igitur ad quæstionem de horum infantum salute applicatur illud Apostoli I. Cor. V. 11. quid mea interest de iis, qui foris sunt judicare? Non enim in dicto isto Apostolus tantum de judicio jurisdictionis, quod per ligantem clavem in putrida & scelerata membra Ecclesia habet, loquitur; sed in genere de judicio, quod circa paganos & externos à Christianis fertur; nec quod quidem Tarnovius objicit ac putat, qui ita suspendit in hac quæstione judicium suum, aliud judicium fert, quam quod CHRISTUS in Scripturis revelaverit, Joh. III. 18. & 36. 2. Theff. I. 8. nam quod CHRISTUS & Apostolus in allegatio

gatis locis pronunciarunt, id perpetuo uti verum manet, ita etiam à nobis probatur & asseritur de perseverantibus in incredulitate sua. Aliud autem est iudicium, quod fertur de statu infidelium, quatenus tales sunt & manent, aliud est iudicium de modis convertendi infideles, quod censemus & putamus, etiamsi non ordinarie convertantur ac regenerentur, tamen modo sibi cognito & extraordinarie DEUM fide salvifica donare posse infidelium liberos, etiamsi id à nobis ignoretur, & non sequi, si ordinarie non regenerentur illi, propterea damnari debere, cum DEUS extraordinarie illis fidem salvificam possit concedere. Proinde temerarium esset, eos æternis cruciatibus adjudicare, interim tacente Scriptura, nihil certi de eorum salute affirmandum erit. Maxima tamen nobis spes est, quæ certe faciet, ut æqviori animo doctrinam de æternitate pœnarum, quam adultis impœnitentibus magis competere apparet, accipias.

§. XI.

Percipiamus jam, quæ D. Johannes in nostro dicto de omni incredulo prædicet? *Non videbit vitam, inquit, sed ira DEI manet super illo.* Duplex audis prædicatum, alterum pœnam damni, alterum pœnam sensus affirmans; utramque æternam fore ex verbis luculentissime videbis. *Pœnam damni*, uti vocant Theologi, his verbis emphaticis pronunciat: *non videbit vitam.* Per *vitam* h. l. intelligit vitam beatam seu æternam, quippe in altero seculo nil præter mortem vel vitam æternam est expectandum. Est illa vita, quam Scriptura S. aliis in locis gloriosam hæreditatem, gloriam, αἰώνιον βῆμα δόξης, καὶ ὑπερβολὴν, 2. Cor. IV. 17. nominat, quam hoc & multis aliis locis Scriptura *Vitam* nuncupare solet, vitam illam, quæ καὶ ἐξοχὴν ita dici meretur. Est enim vita sanctissima, jucundissima, præstantissima, ubi omne abest peccatum, ubi nulla mors; est vita nesciens dolores,



dolores, morbos, &c. *Apoc. XX.* nulla timens odia & persecutiones, quæ vitam non possunt non miseram & tædiosam reddere! ubi exulant diaboli malitia & insidiæ, & ab omni inquam malo libera vivitur. Est vita gaudio plenissima, quæ DEUM Unitrinum, CHRISTUM mentis & corporis oculis intuentur, socios se gaudent esse angelorum, corpore radiantur glorificato, & tota anima, ex unione DEI, perfecta sapientia, sanctitate, justitia, amore, indefinenti & interrupto gaudio est prædita. Hæc est vita, ad quam DEUS nos condidit, hæc vita, quam peccato amissam Filius DEI sanctissimo suo nobis reparavit sanguine: hæc est, quam DEUS autor & amator vitæ omnibus hominibus offert; est vita, quam fide tantum accipimus, quam fideles tanquam coronam & præmium omnibus gratiæ viribus sectantur. Sed hanc, prohi dolor! vitam *non videbit incredulus.* Quæris, quid hoc sit, *non videre vitam?* Facilis est responsio: est nihil aliud, quam minime ea frui, nullius beatitudinis participem fieri. Sicut enim videre vitam, est vita illa frui, quemadmodum *Psal. XXXIV. 13.* bonos dies videre B. LUTHERUS optime reddit, *bonos dies habere,* & *Psal. XXXVII. 13.* *Videbo bonum in terra viventium,* & quando CHRISTUS *Job. III. 3.* ait, non videbit regnum cælorum, explicatur, v. 5. *non veniet in regnum cælorum,* i. e. non fruetur eo. Ita *non videre vitam* est non frui vita; ita GROTIUS non particeps erit vitæ, & BRUGENSIS, PISCATOR, non fruetur vita. Ast non sine emphasi utitur Johannes vocabulo *videre,* quæ phrasi innuit, incredulos ne minimæ particulæ hujus cælestis vitæ & beatitudinis fore participes, nullo malo, neque peccato neque morte esse liberandos, nullum ipsis commercium cum DEO CHRISTO, angelis, cælestique gaudio futurum. Hinc BULINGERUS in h. l. *Hoc autem loquendi modo non*
sine

*sine emphasi negatur incredulis vita & regni caelorum accessus, quasi dicat, tam abest, ut vitam hanc aeternam sit habiturus, qui non crediderit, ut ne ullus quidem sensus ad eum sit peruenturus. Imprimis attendenda est particula non, non, plane non videbit vitam, nullo erit aliquando tempus, quando videbit vitam aeternam, finge quoscunque aetates velis, effatum Johannis erit immutabile, non videbit vitam, absolute enim & sine ulla restrictione ait, non videbit vitam. Nonne hac locutione in omnem aeternitatem, in omne perpetuum fruitio vitae beatæ incredulis denegatur? Hinc satis apparet, damnatos seu semel in infernum detrusos, non salvatum iri; qui non videbit vitam aeternam, ille non salvabitur. Dicant adversarii, quod post diuturnos cruciatus seu post multos praeterlapsos aetates per fidem salvandi sint, hoc est quod expressis verbis hic negatur, qui tandem aliquando, licet non statim post excessum ex hac vita visurus est vitam, ille etiam videbit vitam; Johannes autem ait, non; non videbit vitam. Hinc tale nequissimum argumentum. *Quicumque plane non videbit vitam, ille nunquam salvabitur. At qui incredulus (qui non credit Filio seu in Filium) non videbit vitam. Ergo nunquam salvabitur. Major propositio satis evidens est. Si vita est vita aeterna & videre vitam est frui vita aeterna, quod jam asseruimus, liquet sane, non visurum vitam esse idem ac non seu nunquam salvatum iri. Dicis: Limitandam esse majorem, hunc in modum: Quicumque non videbit scilicet in perpetuum seu aeternum, ille nunquam salvabitur, Johannes autem dicit tantum, non videbit, non autem negat, quod nunquam visurus sit vitam. Sed falsum est, Johannem non dicere, nunquam visurum esse. Particulam Non saepius interpretandam esse per nunquam, exemplis infinitis potest ostendi, e. gr. quoties de DEO ejusque attributis imperfectio negatur, hæc est negatio in**

perpe-

perpetuum; ita quando hoc loco incredulis salus denegatur, in æternum eis denegatur. Sicut enim perfectio DEI nullam permittit mutationem, ita incredulitas non permittit salutis æternæ fruitionem: hinc particula *non* omnino debet per *nunquam* exponi, & primaria hujus particulæ significatio non admittit aliam interpretationem. Negat enim visionem vitæ seu fruitionem æternæ beatitudinis sine ulla restrictione, quam autem dissentientes addunt, nullo nititur firmo argumento. Quod *Minorem* attinet: Incredulus non vitam videbit; sunt ipsa verba Johannea, quæ cum sint tam clara & perspicua, ut nihil apertius dici possit, adversarii quoque id minime negare audent, sed lubenter fatentur, incredulos ut incredulos non posse salvari, ideo dicunt, ex incredulis aliquando post certos quosdam æones & maximos perpeffos cruciatus fore credulos, fore aliquando tempus, cum non sint amplius increduli, sed fideles, & in CHRISTUM, quem antea vel ignorarunt, aut respuerunt, vel hypocritica saltem salutarunt fide, omnem suam collocantes fiduciam, sic fideles facti in altero seculo cruciatibus suis erepti ad æternas perventuros esse beatitudines. Hinc *Minor* juxta mentem eorum, ita formanda esset: Incredulus, quamdiu ita manet, non videbit vitam, quod concedendum putant. Sed vana sunt, quæ loquuntur. In hoc seculo seu in hac vita ex infidelibus & incredulis fieri fideles, ex sceleratissimis sanctissimos, quotidiana, quod DEO acceptum referimus, exempla docent. Quamdiu enim in hac vita degunt, media salutis, verbum & Sacramenta istis offeruntur, gratiæ janua adhuc est aperta, variis modis à CHRISTO deperditarum ovium Pastore fidelissimo alliciuntur, à Spiritu S. vel per conscientiam, vel per crucem & tribulationem, vel per exempla vindictæ divinæ, vel per verbum sive auditum, sive

sive lectum compunguntur, & gratia convertendi eis non denegatur, quod de incredulis in altero seculo seu post hanc vitam, ex Scriptura S. affirmari nequit, quicquid autem ratio hic fingit non est attendendum.

§. XII.

Hinc dispiciendum nobis erit; *An impiis detur poenitentia locus & occasio post hanc vitam.* Hoc est, quod affirmant adversarii; nos vero negamus. Non esse nobis sermonem de poenitentia in hac vita, jam supra audivimus. Hic in Ecclesia militante, in terris degente omnia peccata remittuntur, est confessio nostra in Symbolo Apostolico; & in Aug. Conf. ingenue fatemur: lapsis contingere posse remissionem peccatorum, quocumque tempore (atque ut in Apologia additur. p. 161. quotiescumque:) cum convertuntur. Sed de altera vita plane negamus, ob rationes sequentes gravissimas. (1) quia nullum extat dictum in tota Scriptura, quo asseritur, sive claris verbis, sive per necessariam consequentiam, quendam hominum post hanc vitam iri conversum, quod Scriptura vero non asserit, in re tam ardua, non est credendum, quod considerantes adversarii ne frustra id asseruisse videantur, adducunt locum Petrinum 1. Epist. III. 19. ubi CHRISTUS dicitur prædicasse infidelibus in carcere: exinde colligunt, CHRISTUM in carceribus seu habitaculis animarum damnatarum annunciasse istis infidelibus Evangelium, quo audito fidem in eis fuisse accensam & per hanc fidem liberatos ex carcere exivisse & ad cœlestia penetrasse domicilia. Ast attendas (1) haud dicere Apostolum, CHRISTUM annunciasse Evangelium, non enim ibi legitur verbum *εὐαγγελίζειν*, quod Evangelium annunciare significat, sed dicitur tantum prædicasse, & utitur verbo *κηρύσσειν*, quod de præconibus usurpatur, qui vel in theatris silentium imponunt, vel sub

E

hasta

hæsta aliquid vendunt, aut partes litigantes in jus vocant, vel edictum promulgant, &c. Hinc vero consentaneum est, CHRISTUM damnatis improbrasse potius infidelitatem & tanquam victorem se illis exhibuisse, quam Evangelium prædicasse. Et licet hæ phrasæ, κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον, κηρύσσειν τὸν Χριστὸν, κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ sæpius in N. T. occurrant, quibus non legis sed gratiæ prædicationes indicantur: satis tamen liquet, hoc verbum esse generale & non nisi cum addito, prædicationem Evangelicam innuere. Legitur quidem hæc vox sine addito *Marc. XVI. 20.* sed quia *v. 15* CHRISTUS dixerat κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον & *v. 20.* discipulorum obsequium narratur, satis apertum est ex præcedentibus, τὸ εὐαγγέλιον esse subintelligendum: longe alia ratio est in hoc loco Petrino. (2) Non dicitur, quoniam eorum fidelem fuisse factum, dicitur modo, CHRISTUM prædicasse infidelibus, non autem, quod sua prædicatione quoniam converterit; Si dices, prædicatio CHRISTI non potuit esse frustranea; sic probandum prius est, CHRISTUM annunciaisse Evangelium & gratiam DEI ipsis in suo sanguine obtulisse, quod non ex hoc aut aliis locis probari potest, ne dicam, plane non absurdum esse, prædicationem CHRISTI esse frustraneam, ipse istud de incolis Hierosolymorum innuit: *quoties Filios tuos colligere studui, sed vos nolulistis.* *Matth. XXIII.* (3) Nec legimus, CHRISTUM eos eduxisse ex carcere. Frustra ergo hunc locum tam pertinaciter urgent adversarii.

(2) Ratio, quod in altera vita non detur poenitiæ locus, est: quia verbum divinum aperte dicit, non dari remissionem in altero seculo, nec locum gratiæ ibi esse relictum, ita CHRISTUS *Matth. XII. 22.* *quæ loquitur contra Spiritum S. non habet remissionem, neque in hac, neque in altera vita.* Ibi loquitur
CHRISTUS

CHRISTUS de remissione peccati in Spiritum S. ut simpliciter impossibili, quod nunquam peccator in Spiritum S. habiturus sit remissionem, quia neque in hac, neque in altera vita remissio daretur, & tertium non datur. Dices; sequi potius ex hisce verbis, quod quaedam peccata in altero seculo remittantur; absit! non ita licet colligere. Quando enim aliquid ut simpliciter impossibile negatur in futuro & praesenti seculo, non potest nec debet contraria affirmatio intelligi, e. gr. recte dicitur avaritiam nec placere DEO in hoc, nec in futuro seculo. Non autem hinc licet inferre; Quoddam peccatum placere DEO & in hoc & in futuro seculo. Simili modo, quando CHRISTUS ait, loquens contra Spiritum S. non habet remissionem neque in hac, neque in altera vita, inde non licet inferre: Ergo peccatum quoddam remittitur in hac & altera vita. Et si verum esset, quod tamen minime concedimus, dari remissionem quorundam peccatorum in altera vita, de peccato tamen in Spiritum S. tam clare & diserte hoc loco enunciatur, quod non remittatur; quomodo ergo de ejusmodi peccatore dici potest, quod tandem salvandus sit, quod tamen asserunt, qui restitutionem omnium rerum statuunt? Ita & virginibus stolidis *Matth. XXIV.* post oclusam januam, etiamsi pulsarent fores, nullus amplius aditus patebat; & quando *Matth. VII.* quidam dicent in die judicii, *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, &c.* nonne isti, cum se errasse cernerent, CHRISTUM lubentissime agnoscerent, si locus poenitentiae & gratiae daretur? sed rejicientur & non admittentur. Cur illi non admittuntur, quid illis opus est castigationibus, & tormentis, ut mansvesciant, & quis damnatorum non statim in extremo judicio gratiam DEI in CHRISTO Salvatore amplecteretur, si gratiae daretur locus? Dices quidem, tunc

nondum erit tempus gratiæ, nec illis ea offertur, nec sciunt, aliquando veniam seu remissionem per CHRISTUM esse impetraturos. Verum est, tunc non dari tempus gratiæ, nec scient aliquando istud venturum esse, quia nunquam ex Scriptura S. audiverunt. Quod autem tempus illud gratiæ tandem veniet, gratis dicitur sine Scriptura. Jacobus Cap. II. 13. ait: *Judicium immisericos futurum est ei, qui non fecit misericordiam*, & Job. IX. 13. legitur, *DEUS non retrahit seu revocat iram suam adversus impios, impoenitentes scilicet*, vid. SEB. SCHMIDIUM in b. l. & PAULUS Ebr. III. 13. scribit: *Exhortamini vos ipsos quolibet die, quam diu bodie vocatur*: Ergo datur tempus, cum exhortatio erit inanis. Nec est, quod dicas, Davidem Ps. LXXVII. 8. 9. 10. misericordiam ita deprædicare. *Numquid in aeternum projiciet DEUS? numquid in secula desit misericordia ejus? numquid oblitus est misereri DEUS & clausit in furore misericordias suas? & Ps. CIII. 9. Non in seculum contendet*: Verum hæc loca loquuntur de poenitentibus & tempore gratiæ, quod est hujus tantum vitæ.

(3) Carent damnati verbo & Sacramentis & prædicatione Evangelii; non erit Evangelium, quod possit legi, non erit prædicator Evangelii, neque ex illis, qui damnati sunt, quis enim illum converteret & ex diabolo faceret Apostolum, neque ex cœlestibus quisquam prædicabit Evangelium, quippe *tantus inter utrosque est hiatus, ut alter ad alterum neque descendere nec ascendere possit* Luc. 16. Neque de DEO neque de Angelo neque de alio quodam ulla invenitur promissio, quod annunciaturi sint damnatis Evangelium.

(4) Cruciatu & tormenta non possunt esse media, quibus convertantur, nullam enim habent vim illuminandi, regenerandi, convertendi & sanctificandi, sine illuminatione autem, regeneratione, conversione & sanctificatione minime possunt

possunt salvari. Absolutæ quidem DEI potentia hæc haud impossibile esse, eorum corda sine mediis convertere, in alium statum perducere ac immutare, libenter concedimus, sed à potentia ad voluntatem DEI, seu à posse ad esse N. V. C. Nobis non licet aliquid fingere, quod DEUS non revelavit.

Et si (5) statum damnatorum considerabis, reperies, eum non permittere, ut convertantur, nunquam enim desinent peccare, DEUM offendere ac blasphemari, quænam ergo pœnitentia damnatorum erit speranda? Si itaque non datur locus pœnitentiæ, nunquam in omnem æternitatem videbunt vitam.

§. XIII.

Et quid mirum, eos in perpetuum exclusum iri regno cœlesti, æternisque gaudiis, qui tantam misericordiam, tantumque amorem DEI, quo filio unigenito non pepercit, nihili fecerunt; qui pretiosissimum & inæstimabilem Filii DEI sanguinem pedibus quasi conculcarunt; qui gratiam & meritum CHRISTI petulantes respuerunt; qui voci divinæ sæpius iteratæ noluerunt obedire; qui media salutis neglexerunt; qui tempus gratiæ eis propositum non observarunt; qui tempus gratiæ eis propositum non observarunt; qui minantia DEI verba & ob oculos sæpius depictas æternas pœnas irriserunt; qui stulti corde DEUM in sua sapientia insipidum habuerunt. Quis ergo DEUM crudelitatis & iniustitiæ insimularet, aut accusaret, si istos reprobos, immorigeros, petulantes, indignos cœlesti gaudio iudicaret? Justum est, ut illi, qui ad cœnam cœlestem & nuptias Filii DEI invitati, eas tamen rejecerunt, eas quoque minime gustent. Mirabilis sane & stupenda fuit misericordia, quam DEUS ejusque Filius unigenitus sua incarnatione, exinanitione, passione, morteque cruenta eis exhibuit.

Quantam longanimitatem experti sunt in his terris tam proterve peccantes! Hæc omnino diligenter sunt consideranda, & qui ista secum reputat, sane fateri cogetur, maxime justum esse DEUM: *justus es Domine & justa tua sunt judicia*, Psalm. CXIX. 137.

§. XIV.

Altero prædicato, pœnam quoque sensus æternam fore, satis dilucide enunciat dicto nostro Johannes. *Sed ira DEI manet super illum*. Quid planius de æterna reprobatione & nunquam terminandis damnatorum cruciatibus dici potest? Iræ autem nomine hoc loco inprimis pœna, vindicta, ultio divina innuitur. Ira enim DEI si consideratur ut affectus, (omnes quippe affectus DEO adimere cum scholasticis, quia nullum accidens in eum cadit, minime æquum & tolerandum est) in DEO est & manet, licet non ea ratione imperfecta sit & per modum accidentis, ut in homine, verum ratione longe puriori & eminentiori, adeoque per modum ipsius essentiæ & substantiæ consideranda: Hinc AUGUSTINUS T. IV. l. 2. ad Simplic. quæst. 2. *Ira hominum turbida est, & non sine cruciatu animi, ira vero DEI, de qua dicitur in Evangelio: Sed ira DEI manet super eum: & Apostolus: revelabitur enim ira DEI de caelo super omnem impietatem; illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita excercet admirabili æquitate vindictam*. Per vindictam vero, ultionem seu pœnam se exerit divina ira, & cum hoc loco de ea dicatur, quod mansura sit super eum, qui non credit, per vindictam præcipue explicanda est, includit autem simul affectum iræ divinæ, qua oderit impios & incredulos, qui affectus DEO nostro, vere sine tropo, competit. Quamvis quidem affectus aliqui humani eorundemque peculiare descriptiones proprie loquendo in DEO non sint, sed ad quoddam divinum significandum per simili-

similitudinem ad DEUM referantur, uti tristitia, dolor animi, pœnitenta, &c. ira tamen simpliciter ἀνθρώπων αἰσῶς DEO non tribuitur, licet in vocibus & phrasibus quibusdam, quibus affectus ille exprimi solet, ἀνθρώπων αἰσῶν admittimus. Verissime enim & infinita ratione DEUS ex justitia irascitur peccatoribus, & ultionem de iis sumit, seu eos pœnis afficit, Jer. IX. 9. Nabum. I. 2. vere peccatores & hypocritas odit, Ps. V. 6. Es. I. 14. licet absq̄ ulla perturbatione, ἀταξία & imperfectione hæc sint DEO tribuenda. AUGUSTINUS ad Laurentium c. 33. Cum DEUS irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, ira nomen accepit. Idem l. 13. de Trinitate c. 16. Ira DEI nihil est aliud, quam justa vindicta. Non enim sicut hominis animi perturbatio est ira DEI, sed illius ira est, cui dicit alio loco Sancta Scriptura, Sap. XII. 8. Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas, & l. 15. de C. D. c. 25. Ira DEI non est perturbatio animi ejus, sed judicium, quo irrogantur pœne peccatoribus, & Anselmus, l. 1. cur DEUS homo, c. 1. Ira DEI non est aliud, quam voluntas puniendi. In dicto nostro præter affectum iræ & voluntatem puniendi etiam vindicta seu pœna intelligitur, quod phrasim seu ratio loquendi ita postulat. Sic sæpius in Scriptura S. per iram DEI ejus vindicta & ultio intelligenda est, ita Ps. LXXIX. 6. funde iram tuam, (i. e. vindictam, ultionem tuam:) super gentes. Mich. VII. 9. Indignationem, i. e. pœnam Jehovæ portabo, Rom. II. 5. juxta duritiam tuam & impœnitentiam cordis thesaurizas tibi ipsi iram in die ira, Rom. XIII. 5. necesse est subditum esse, scilicet magistratui, non solum propter iram i. e. ultionem seu pœnam, sed etiam propter conscientiam. Ephes. V. 6. Nemo decipito vos vanis verbis, propter hæc enim venit ira DEI super filios incredulitatis. Manebit ergo juxta effatum Johanneum voluntas puniendi incre-

incredulum in DEO, & pœna seu ultio manebit. Hæc ira DEI est gravissima & omnem superat iram & vindictam potentissimorum hominum, quam DEUS justissimus manifestavit aliquo modo in hac vita per inundationem totius terræ, conflagrationem Sodomæ & Gomorrhæ, extirpationem gentium ethnicarum seu incolarum terræ Canaan, devastationem Hierosolymarum, &c. sed in altera vita & extremo judicio plenius eam patefaciet, inde dies judicii, dies iræ dicitur. *Ardens est ira ejus & grave onus* Es. XXX. 27. quam nemo tolerare potest, inde *Apoc. VI. 16. 17.* legimus: *Unde reges terræ & magnates & divites & chiliarchi & potentes & omnis servus & omnis liber absconderunt se ipsos in speluncas & in petras montium. Dicentque montibus & petris, ruite super nos & abscondite nos a facie sedentis super throno & ab ira agni: quia venit dies magna iræ ejus, quis ergo poterit consistere.*

§. XV.

Iræ huic divinæ, quod valde dolemus, totum genus humanum jam ob naturalem inqvinationem & impuritatem cordis obnoxium est, filii enim iræ sumus natura sicut & ceteri, *Ephes. II. 3.* nec ullus, præter unicum hominem gratiæ CHRISTUM JESUM reperitur, homo, qui non sit natura filius iræ, qui non meruerit istam iram, hanc nisi per veram fidem in CHRISTUM JESUM effugere possumus, ille enim est Sacerdos noster, qui loco nostrum iram DEI portavit, quapropter reconciliatus DEUS nos non posuit in iram, sed ut salutem possideamus, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM 2. *Thess. V. 9.* de incredulo vero enunciat Johannes; IRA MANEBIT i. e. erit super eum, familiare enim est Johanni *μενειν* ponere pro esse, ut infra *Cap. V. 38. Cap. XV. 11. & Epist. II. 6. & alibi.* Non dicit, ira superveniet super eum, quia extra CHRISTUM constitutus sine CHRISTO vivens, jam sub ira DEI est, & expers

expers gratiæ divinæ; nec est quidquam, quod illos incredulos ab ira liberare possit, aut velit, non datur aliud sacrificium pro peccatis, quando hoc, quod CHRISTUS in cruce obtulit, in incredulitate sua rejecerunt & aspernati sunt. Status eorum, qui est status iræ divinæ statusque miseriæ, ob propriam eorum culpam, impœnitentiam & incredulitatem non immutabitur, nullo tempore, nulloque modo, diserte hoc Johannes his verbis asserit: ira manet super eum, i. e. perseverat juxta Brugensem, *constanter & penitissime adhaeret, id in scriptura S. est λέγειν. Est enim ira quædam DEI, quæ transit & momentanea est, quam experiuntur etiam fideles: at ira manens ea est, quæ ita cruciat, ut nunquam perimat.* Omnes quidem homines, qui pœnam hanc meruerant, meruerunt autem cuncti & singuli, per CHRISTUM JESUM sunt redempti & liberati, omnibus quoque unica via iram seu pœnam hanc effugiendi proposita est, quæ est fides in CHRISTUM, & quidem in hac tantum vita gratia DEI offertur eis, *hic enim est dies salutis, hoc est tempus gratiæ, 2. Cor. VI. 2.* sed quia hanc contemnunt, quia hanc negligunt occasionem, non possunt DEUM injustitiæ accusare, si in æternas ipsos projiciet flammæ. Durum quidem verbum est, sed minime injustum, incredulos DEI iram in æternum esse sensuros. Si diceremus, DEUM ex mero beneplacito quosdam igne æterno cruciaturum esse, dictu sane esset intolerabile. Sed perpende misericordiam DEI; num aliquid prætermiserit, quod ad salutem eorum pertineat, omnes vult salvos fieri, omnes pretioso sanguine Filii sui redemit, omnibus fidem proponit, ipsi vero noluerunt beatitudinem, quam partim irriserunt, partim nihili habuerunt, partim deliciis mundanis & carnalibus postposuerunt, cum ergo benedictionem & omnia bona rejecerunt, rectum est, ut maledictionem & quæque mala accipiant,

F cum

cum contemserunt vocem DEI ejusque blandissimas invitationes, justum est, ut in ira cum iis loquatur & tanquam paleas eos dispergat. Emphatica sane hæc est locutio Johannis: non dicit solum *pœna manebit*, sed & *ira*, ira autem DEI omnem hic excludit gratiam, non solum favorem internum, sed etiam ex hoc favore defluentes gratiosas operationes. Negatur ergo his verbis: DEUM unquam sua gratia eos esse conversurum; recte inde MUSCULUS in h. l. *Hic ergo ira DEI & supplicii impiorum perpetuitas designatur. Quemadmodum enim necesse est, DEO vivat, quicumque sempiternæ illius bonitatis capax est: (non enim mortuorum DEUS est, sed viventium, Matth. XXII. 32.) ita necesse est, esse reum & perdi in sempiternum, qui sempiterna ira DEI propter incredulitatem subiectus est. Hinc illa sententia; paleas comburet igne inextingvibili, Matth. III. 12. Ibunt ibi in supplicium æternum, Matth. XXV. 46. Vermis eorum non morietur, &c.* Invicta ergo est veritas, quam docemus de æternitate pœnarum, quam perpetuo Christiana professa fuit Ecclesia & contra adversarios, Origenistas, Socinianos, Anabaptistas aliosque defendit.

§. XVI.

Ut ab hac sententia & explicatione hujus dicti recedamus, nec ratio, nec aliud Scripturæ S. dictum nos cogit: quapropter in ea firmiter nobis est persistendum. Audiamus quædam, quæ vel à ratione, vel ex sacris literis nobis objiciuntur. Dicunt quidam: Iram DEI per varios æones sentient increduli, nec impune ferent contemtum misericordiæ divinæ, sed per cruciatus gravissimos franget DEUS eorum contumaciam ac proterviam, tamque cicures & mansuetos reddet, ut CHRISTUM JESUM cupide apprehensuri sint. Sed nullo modo probari potest ejusmodi æones in altera vita esse futuros. Certos dari æones, seu distincta tempora

tempora hujus mundi, œconomia Veteris & Novi Testamenti satis probat. An vero & quales æones alterum habebit seculum, nullibi Scriptura docet. Absit ergo, & eos approbemus. Qua ratione ejusmodi æones hujus mundi rejicimus, de quibus alia atque alia ratio salvandi docetur, quales non modo Muhamedani somniant, sed & fanaticorum plurimi ut JULIUS SPERBERUS, ejusque similes jactitant, qui aliud seculum Patri, aliud seculum Filio, aliud Spiritui Sancto attribuant, vide JAC. THOMASII *Progr. de Seculo Spir. S. pag. 517.* quos Scriptura S. non modo nescit, sed ab omni veritate alienos esse judicat & ostendit; eadem ratione & illi in altero seculo repudiandi sunt æones, de quibus non solum tacet Scriptura S., sed & contrarium docet in allato dicto Johanneo.

(2) Nec in tota Scriptura S. legimus, cruciatibus diuturnis DEO tanquam medio coercendi impios esse usurum, ut mansueti & morigeri CHRISTUM apprehendant, ultra Scripturam autem in rebus fidei nihil est statuendum.

(3) Nec pœnarum natura id flagitat, quas DEUM hunc in finem infligere, ut corrigantur impii, adversarii volunt, & hinc inferunt, DEUM non frustra punire damnatos, sed ut resipiscant & emendentur. Nemo quidem negabit, DEUM justissimum æque ac misericordissimum homines plurimis plagis *in hac vita* afficere, ut in aliam eos reducat viam: non tamen existimes, hoc naturam pœnarum ita postulare. Expendas quæso, pœnam propriissime dictam esse potius compensationem injuriæ imperanti per inobedientiam illatæ, quemadmodum enim aliæ injuriæ aliis modis cuique relationi & statui propriis compensantur, ita injuriæ imperanti, qua tali, illatæ compensantur pœnis. Qua in re enim quisque contra imperantem inobedientia peccavit, in ea imperium ejus excussit, ideoque ad illud restituendum non sufficit, in



posterum obedientem esse, sicut haud sufficit ad res ablatas restituendas, nullas amplius eripere: sed ut relatio ex facto orta non nisi contrario facto contrariam relationem habente, eliditur, ita quo levius atque contempcius habitum est imperium, eo postea gravius & molestius id subire, & sic in ferendis iis, quæ alias ferre non debuisset, vim ejus acriorem experiri oportet, uti nos docet celeberrimus JUSTUS CHRISTOPH. SCHOMERUS in *Theologia sua morali* pag. 180. Hinc fit, ut DEUS, qui imperium habet in nos & summum & absolute necessarium, non possit non infideles, qui satisfactionem CHRISTI pro peccatoribus contempserunt & neglexerunt, punire, & cum in æternum non possunt compensare læsiones infinito enti seu DEO factas, in æternum quoque pœnas luent, quod & CHRISTUS *Matth. V. 26.* comprobatur: *Amen dico tibi, non exhibis, donec persolveris ultimum quadrans, quem ipse persolvere nullus poterit damnatus.* Sic contrarium potius ex natura pœnarum inferre licet, perpetuas scilicet ut subire pœnas necesse habeant inobedientes. In hac vita tantum dari gratiæ tempus, post hanc vitam vero respectu impiorum esse tempus iræ, sacræ paginæ docent: Quicumque enim hic non intromittitur, illic inveniet clausas januas, affirmante hoc CHRISTO, *Matth. XXV. 10.*

§ XVII.

Rationi quoque adversari putant, omnes incredulos in incredulitate sua defunctos sub ira DEI perpetuo mansuros, æternosque experturos esse cruciatus: Sed non ratio in dogmatibus fidei consulenda, tantum quid Scriptura docet, unice est audiendum, quod jam sub initium hujus Dissertationis monuimus. Audiamus tamen, quæ ratio potissimum objicere soleat. Dicit primo, nonne hoc injustum est, & justitiæ divinæ maxime adversum, in æternum quæquam cruciari.

eruciari. Sub initium Seculi XVII. Anno 1603. edidit librum ERNESTUS SENNERTUS, Noribergensis, Professor Physices & Medicinæ Altorfensis, cujus titulus: *Demonstratio Theologica & Philosophica, quod aeterna impiorum supplicia non arguant DEI justitiam, sed injustitiam.* Sed respondemus: DEUM esse justissimum & nemini unquam injuriam facere & essentia ejus postulat & Scriptura diserte docet. *Justus est Jehovah in omnibus viis suis & sanctus in omnibus operibus ipsius, Psalm. CXLIV. 17. Justus es DEUS & justa tua sunt judicia, Psalm. CXIX. 137. Omnes viae ejus judicium, i. e. justæ sunt, DEUS est veritas & non iniquitas, justus & rectus ipse, Deut. XXXII. 4. Na Domine, DEUS omnipotens, vera & justa sunt judicia tua, Apoc. XVI. 3.* Quicquid Scriptura Sacra de justissimo DEO & exercitio justitiæ ejus asserit, etiamsi nobis injustissimum videatur, minime tamen injustum esse potest. Injustum videtur, videtur inquam, non est, quod DEUS Filio suo unigenito peccata aliena imputaverit & ob imputata aliorum crimina eum cruenta & acerbissima morte multaverit, in quo facto tamen summa justitia ejus & misericordia elucet: ita videtur quidem rationi nostræ injustum esse judicium, æterno supplicio transgressores legis suæ afficere, sed asserente id Scriptura, quod ex dicto nostro, aliisque supra allegatis locis patet, non injustum esse potest. Hinc Paulus 2. Thess. I. 6. - 9. *Justum est apud DEUM, retribuere affligentibus vos afflictionem; at vobis, qui affligimini, recreationem nobiscum in revelatione Domini JESU de caelo cum Angelis potentie ipsius. In flamma ignis, qui dabit vindictam iis, qui non norunt DEUM, & qui non obediaverunt Evangelio Domini nostri JESU CHRISTI: qui pœnam luent, interitum aeternum, à facie Domini & à gloria roboris ipsius.* Dicit Apostolus, apud DEUM justum est, DEI judicium opponens, judicio hominum, quasi dicat, etiamsi forte hominibus secus videatur, nihil

nihilo minus tamen aliud est hac de re DEI iudicium contrarium, totum ipsi videtur iustum. Inustum videtur tantum illis, qui solam rationem in hac re sequuntur. Quæris, cur rationi inustum videatur? dicunt, quia peccata sunt finita, pœnæ autem infinitæ, sicut vero finiti ad infinitum nulla est proportio, ita quoque nulla est proportio inter delicta impiorum & supplicia æterna. Ubi vero nulla est proportio inter delictum & pœnam, ibi nulla elucet iustitia Iudicis, sed potius iniustitia. At licet nos ob imbecillitatem nostri ingenii non videremus proportionem, à nostra tamen ignorantia ad rei negationem N. V. C. quod enim ex sola revelatione divinæ voluntatis scimus, illud etiam, si nobis aliter videatur, impie contra Scripturam negamus. An finiti nulla sit proportio ad infinitum adhuc disputatur, vide KESLERUM in *Examin Metaphysica Photin. Part. Gener. pag. 357.* AFFELMAN. *T. 1. Syntagm. f. 246. seq.* de peccatis certum est, quamvis ratione actus sui transitorii sint finita, tamen reatus esse infiniti propter objectum suum, quod lædunt, infinitum, & finitas & infinitas in culpis non æstimatur ex duratione, sed obligatione, non ex entitate physica, sed moralitate. Vid. B. SCHERZER. *Colleg. Anti-Socin. pag. 1312. seqq.* Ergo non iniustus erit DEUS in æternum puniens. Non dicam, quod si in æternum vixissent in hoc mundo, in æternum quoque peccavissent, & cum in altero mundo non desinent peccare, num iniustum erit, DEUM perpetuo peccantes perpetuo supplicio afficere?

§. XVIII.

Nec minus rationi obstare videtur immensa & infinita DEI misericordia, cui haud convenire putant, creaturam aliquam in æternum cruciare. Ita iudicat ratio, quando DEUM ut misericordem & non simul ut iustum contemplatur

ur. DEUS æque justus est, ac misericors; misericordia non est accidens in DEO, sed ipsa ejus essentia, justitia itidem non est accidens sed essentia divina, quemadmodum misericordiam suam abnegare nequit, ita nec justitiam, & sicut misericordia DEI in redimendis & salvandis peccatoribus est admirabilis, imo nobis incomprehensibilis, ita & justitia DEI in puniendis impiis supra nostrum captum maximam admirationem meretur. Quis tantam à DEO exspectare potuisset misericordiam, ut homines, transgressores legis suæ, inobedientes, imo DEI inimicos tanto misericordiæ amore amplecteretur, ut filium suum unigenitum pro illis in miseriam, cruciatus & mortem traderet; ut eis gratiam suam in CHRISTO offerret, eorum pœnitentiam magna longanimitate exspectaret, illos in filios suos susciperet, ac æterna, ac nunquam finienda bearet felicitate? Hem! quanta isthæc misericordia, quis eam comprehendere potest? Cum autem justitia DEI nec minor nec inferior misericordia, & hæc eam non superat, sane non alia pœna in impios exspectanda erit, quam quæ omnem rationis captum æque ut misericordia superet. Timeamus justitiam & confugiamus ad misericordiam, ut illam in pœnis non experiamur, hac vero perpetuo gaudeamus. Verum quidem est, quod ajunt quidam, DEUM ipsum vocari *Amorem* in Scriptura Sacra, nunquam autem *Iram*; sed quanquam non vocetur ira, tamen *Justitia* dicitur, ex hac locutione ergo nulla inferenda est inæqualitas justitiæ & misericordiæ DEI, cum utraqve sit ejus essentia, ipseque DEUS immutabilis.

§. XIX.

Veretur insuper ratio, doctrinâ illâ, de æterno supplicio damnatorum, Diabolo amplius adscribi regnum, majoremque potentiam, quam Filio DEI, quia numerus damnatorum
beatos

beatos ingenti modo superat. Concedimus quidem libenter, numerum beatorum longe inferiorem esse damnatorum numero, quod testantur tot Scripturæ dicta. Nec audiendus est CURIO, Professor Basileensis, quod opinio de paucitate salvandorum Diabolum mendacii parentem autorem habeat, quando in libro de amplitudine regni DEI scribit: *Dicam igitur primum, unde hæc de paucitate servandorum, regniqve DEI parvitate, opinio orta sit, sensimqve permanarit. Principio enim, ut Diaboli invidia atq; æstu mors in hunc mundum intravit, sic ejusdem emulatione & artibus angusta ista atqve invida opinio disseminata & propagata est. Videbat enim, ac non dubiis signis colligebat humani generis hostis, mendaciqve parens, DEI regnum in misericordia, tanquam in firmissimo æternoqve fundamento, positum & fundatum esse; DEUMq; per infinitam suam misericordiam, amplissimam rempublicam, numeroqve civium infinitam, omni ratione, summaqve sapientia paulatim colligere & constituere; ideo mille semper artibus & dolis eam impedire conatus est, & conatur antitheus, qui inter cetera spargere & disseminare eam opinionem cæpit inter eos, qui vulgo sapientiores habebantur: Numerum videlicet bonorum esse exiguum, improborum infinitum: Quibus verbis aperte CHRISTO ipsi contradicit, non semel asserenti, multos quidem esse vocatos, paucos vero electos, viamqve ad tartara ducentem maximo numero viatorum stipatam describenti: Non igitur facere possumus, quin numerum beatorum longè inferiorem esse damnatorum numero cum Scriptura doceamus: Negamus nihilominus, hinc in diabolum plus honoris vel potentia, vel felicitatis resultare. Certum enim est, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM esse DEUM supra omnia benedictum, Satanam autem quoad essentiam suam angelicam esse ejus creaturam. Certum quoque est, CHRISTUM esse Dominum etiam ipsius Satanæ & omnium damnatorum, ejusqve domi-*

dominium non solum in electos homines, sed & angelos beatos se extendere. Quid ergo est, quod possit Satanas contra CHRISTUM gloriari, *potentia* ejus, licet maxime inferior ita contra CHRISTUM nihil valet, quippe qui caput ejus contrivit & semper superior eo decessit; *gloria* & *honor* plane abest ab illo, qui ignominia sua & dedecore omnibus est abominatio. Nulla gaudet *felicitate* infelicissimus ille ad tartara detrusus & æternis vinculis constrictus diabolus, ipse à CHRISTO torquetur, *Matth. VIII.* Nihil ergo prærogativæ diabolo adscribi inde potest quod plurimi damnantur. Dicis: omnino infringitur potentia CHRISTI præ diaboli hac hypothese de paucitate salvandorum, si enim non major esset potentia diaboli præ CHRISTI, plures sane ex regno ejus eriperentur. Facilis autem est responsio, CHRISTI potentiam in se esse minorem diaboli, non sine blasphemia dici vel cogitari potest, & quænam potentia creata cum increata est comparanda. Quod autem plures in regno diaboli maneant, non ex impotentia CHRISTI seu majori potentia diaboli factum est. CHRISTUS enim in redemptione totius generis humani tantam exseruit potentiam erga infernales spiritus, ut omnes eos superaverit, ita ut omnes homines, si voluissent, ab eo fuissent liberati. In convertendis autem hominibus CHRISTUS non ex *potentia sua absoluta*, sed *ordinata* agere voluit, alias omnis vis ac robur diaboli id impedire non valuisset, sed ordinata usus est potentia, cum ergo ipsi noluerunt; sese ut in æternum barathrum præcipitent, impedire noluit, quo suæ temeritatis ac inobedientiæ dignas luerent pœnas; Cur timendum ergo esset honori ac dignitati CHRISTI, ac si illi æterno damnatorum supplicio aliquid decederet?

Nec ullum dictum in Scriptura Sacra nos cogit, ut ~~relecta~~ propria significatione verborum sententiæ Johanneæ alium sensum amplecteremur: Quid Petrus *Actor. III. 21.* per *ἀποκατάστασιν* intelligat, cui dicto totum fere opus suum & doctrinam de salute damnatorum & diabolorum DN. PETERSENIUS aliiqve superstruxerunt, optime Apostolus Paulus in dicto parallelo *1. Cor. XV. 25.* verbis Davidis ex *Psal. CX.* exponit, *ἀρχὴς ἔσται ἡ πᾶντας τῶν ἐχθρῶν ὑπὸ τῶν πόδας αὐτοῦ:* explicat & sensus est, CHRISTUM esse occupaturum cœtum & regnaturum inter inimicos, usqve ad illa tempora, quibus omnibus inimicis suis debellatis, quieta & tranquilla omnia in suo regno futura sunt: ita apud Scriptores Græcos *ἀποκατάστασις* quietis & tranquillitatis publicæ post bella aut turbas restitutionem significat, quod variis ex POLYBIO adductis exemplis probat Cl. DN. GEORG. RAPHELIUS in *animadv. Philolol. pag. 313.* Quod ex *Es. XXIV. 22.* allegatur: *Colligenturqve collectione victi super fovea, ac claudentur super claustra: post tamen multitudinem dierum visitabuntur;* ubi per claustra seu carceres intelligunt habitacula damnatorum & per visitationem post multos dies, visitationem gratiæ, quando scilicet DEUS suis illos educturus est ergastulis: Haud diffiteor, hic non visitationem iræ, quod plerisque nostratum aliisque placet, sed visitationem gratiæ esse intelligendam, quia (1) est visitatio post calamitatem, atqve omnis visitatio post calamitatem ut visitatio gratiæ, docente tota Scriptura, consideranda est. (2) Est Visitatio opposita priori visitationi *vers. 21.* atqve *vers. 22.* est iræ, ergo hæc est gratiæ. (3) Est visitatio talis, in qua regnat Dominus in Zion, vid. SEB. SCHMID. in *b. l.* sed negamus, per carcerem hoc loco inferni locum indigitari, sed potius cum laudato SCHMIDIO carcerem Baby-
loni;

lonicum, seu carcerem captivitatis Babylonicæ intelligimus. Quando Apostolus Paulus *1. Cor. XV.* de morte asserit, quod sit ultimus hostis, qui abolendus, non loquitur de morte æterna, sed temporali, nec de omnium morte, sed tantum piorum, quorum resurrectionem hoc capite probat & describit, quod scilicet resurrectione piorum in gloriam ultimus eorum hostis aboleatur. Nec ex eo, quod *vers. 28.* dicitur, quod DEUS sit futurus omnia in omnibus, sequitur, quod omnes creaturæ damnatæ sint salvandæ. Sermo ibi enim est de fidelibus, in quibus regnum DEI est, quamdiu illi in hac vita degunt, inter plurimas tentationes spiritualium hostium regnum DEI eis inest, postea vero, quando Dominus noster JESUS CHRISTUS regnum suum Patri tradiderit, DEUS erit omnia in omnibus fidelibus, ut nullo modo, ab inimicis quies & felicitas eorum turbari queat. Nec dictum Paulinum *Rom. V. 20.* de gratia abundantiori præ peccato, nostræ sententiæ adversatur: Deprædicat ibi Paulus gratiam abundantiorē fieri, quando per legem Mosaicam peccata actualia & proæretica apud homines, quod per vitium & corruptionem humanæ naturæ, non aliter fieri potuit, abundant. Gratia JESU CHRISTI, quæ peccatoribus offertur & donatur, omnibus eorum peccatis semper est major, & quando per contemplationem legis, peccatorum agnitio vel numerus eorum major fit, tunc gratia hæc non minuitur, sed magna illa gratia eo abundantior est, tam ad convertendum, justificandum quam consolandum peccatorem: hunc verum esse sensum hujus commatis & cohærentia & verba ipsa satis dilucide testantur. Plura loca, quæ pro sua stabilienda sententia adserunt adversarii, hoc loco allegare haud necessarium duco, nec angustia temporis & chartæ prolixiora permittit. Finem im-

imponamus huic Dissertatiunculæ verbis quatuor celeberrimorum Ecclesiæ Patrum ac Doctorum, IRENÆI scilicet, CYPRIANI, HEERONYMI & AUGUSTINI. IRENÆUS l. IV. ad. hereses c. 4. ait: *Diabolorum & omnium impiorum credimus aterna tormenta.* CYPRIANUS in Libr. ad Demetrianum ait: *Ardens semper gehenna & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit unde tormenta vel finem, vel requiem aliquando habitura sine.* HEERONYMUS in Es. Cap. LXVI. T. V. Sicut, inquit, *sancti ineffabile habent gaudium, ita iniusti indesinentem pœnam, dicuntur enim ituri in supplicium aeternum, id est, nunquam finiendum, & AUGUSTINUS T. VIII. Opp. I. de heres. c. 43. Catholicus Christianus vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam quam dicit (scil. ORIGENES) purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maxumis finierunt, ipsum etiam postremo Diabolum atque Angelos ejus, quamvis post longissimam temporis purgatos atque liberatos regno DEI luci que restituti? & alibi: **Manebit ergo SINE FINE MORS ILLA PERPETUA** damnatorum, sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum.*

S. D. G.

